



1-1-1974

Constitutions Latin: 1968-1974

Recommended Citation

"Constitutions Latin: 1968-1974" (1974). *Constitutions and Rules*. Paper 18.
http://via.library.depaul.edu/cm_construles/18

This Article is brought to you for free and open access by the Official Documents at Via Sapientiae. It has been accepted for inclusion in *Constitutions and Rules* by an authorized administrator of Via Sapientiae. For more information, please contact mbernal2@depaul.edu.

**CONSTITUTIONES
ET
STATUTA
CONGREGATIONIS MISSIONS**

~~[Approbatæ in Conventu Generali, 1968]~~

Textus completus Conventus Generalis anni 1968-1969
Emendatus a Conventu Generali XXXV anni 1974

SUMMARIUM

Prooemium		p.	85
I.	DE FINE CONGREGATIONIS	»	88
II.	DE NATURA CONGREGATIONIS	»	88
III.	DE SPIRITU CONGREGATIONIS	»	89
IV.	DE VITA CONGREGATIONIS	»	89
	1. - De actuositate apostolica	»	90
	2. - De communionem fraternam	»	91
	3. - De praxi consiliorum evangelicorum.	»	92
	4. - De spiritu orationis	»	95
V.	DE SODALIBUS CONGREGATIONIS	»	96
	1. - De sodalibus in genere	»	97
	2. - De iuribus et obligationibus sodalium	»	97
	3. - De adscriptione sodalium alicui Provinciae et Domui	»	98
	4. - Principia generalia de formatione	»	99
	5. - De vocationibus promovendis et de Scholis Apostolicis	»	100
	6. - De Seminario Interno	»	101
	7. - De Seminario Maiore	»	102
	8. - De Fratrum formatione	»	104
	9. - De egressu	»	104
VI.	DE REGIMINE CONGREGATIONIS	»	106
	1. - Principia generalia	»	106
	2. - De officiis in administratione centrali	»	107
	- De Superiore Generali	»	107
	- De Vicario Generali	»	109
	- De Assistentibus Generalibus	»	110
	- De Officialibus Curiae Generalis	»	111
	3. - De Provinciis et Viceprovinciis	»	111
	4. - De officiis in administratione provinciali	»	112
	- De Superiore Provinciali et Viceprovinciali	»	112
	- De Assistente Superioris Provincialis	»	115
	- De Consilio Provinciali	»	115
	- De Oecono Provinciali	»	115
	5. - De officiis in administratione locali	»	116
	6. - De Conventibus	»	117
	- De Conventibus in genere	»	117
	- De Conventu Generali	»	118
	- De Conventu Provinciali	»	121
	- De Conventu Domestico	»	122
VII.	DE BONIS TEMPORALIBUS CONGREGATIONIS	»	123
VIII.	DECRETA TEMPORARIA	»	126

~~N. B. - Cum textus sint ad experimentum, non semper distinctio facta est inter ea quae ad Constitutiones et quae ad Statuta pertinent. Numeri tamen asterisco (*) signati, nisi aliter notetur, pertinent ad Statuta, iudicio uniuscuiusque Commissionis particularis.~~

~~[Quae hic praebentur, textus etiam complectuntur iam a Conventu, priore vergente periodo, approbatos, cf. Vincentiana XII (1968) 181 ss.: quos, tamen, altera durante periodo Conventus fusius recognovit et ad formam Constitutionum seu Statutorum, novis additis textibus, redegit. Qui omnes nunc primum typis simul eduntur. Notula Directoris].~~

VINCENTIANA

COMMENTARIUM OFFICIALE PRO SODALIBUS CONGREGATIONIS MISSIONIS
ALTERNIS MENSIBUS EDITUM

Apud Curiam Generalitiam: Via Pompeo Magno, 21 - 00192 ROMA

ANNO XIII (1969)

Fasciculi 3-4, Maii-Aug.

[Prooemium]

Sodales nostri qui hos textus, a Conventu Generali extraordinario approbatos legant, ad id necessario adducentur, ut Congregationem eo aspectu considerent, prouti ipsa revera exstat hodie in Ecclesia. Quae, enim, vitale cum sit sacramentum salutis, nostram quoque, etsi parvam, societatem complectitur, illamque ad ei concreditam a Sancto Vincentio missionem ducit prosequendam. Siquidem, grex Christi, in diaersis mundi regionibus, panem a nobis evangelicae petit doctrinae, clerusque, in sortem Domini vocatus, multimodas prae omnium oculis exhibet necessitates quibus subvenire oporteat, christiana autem iuventus, in Sodalium nostrorum testimonio, vera vitae salutiferis Spiritus operibus deditae quaerit exempla.

In quibus textibus componendis, Auctores paginas secuti sunt Evangelii, conciliares Sponsae Christi declarationes, constitutionalia Sancti Vincentii temporibus edita documenta, Regulas ab ipso collectas ael compositas, aliaque ab eo scripta, necnon sanas quae reputantur traditiones, hodiernae aetatis aptatas condicionibus. Nec alios fontes quaerant lectores, ut huius libelli articulorum aim ac sensum mutuamque eorum conexionem perfecte attingant, qui, tamquam renovationis nostrae pars humilis at actiosa Sodalibus his paginis praebeatur.

Quidam forte lacunas aut defectus - quibus nullum opus vacat humanum - inveniat. Attamen, et alia prae oculis habenda sunt, ad altiorem ordinem pertinentia : fructus nempe orationum, tum Auctorum tum aliorum, Sodalium praesertim ac Filiarum Caritatis, ubique terrarum, qui procul dubio benedictiones et gratias a Deo consequi meruerunt. Revera, Conventus Extraordinarii praeparatio, decursus, effectus - quorum hae paginae exhibent testimonium - certe Spiritus Sancti ductu non caruerunt. Ut, tamen, lector eiusdem Spiritus in ipsis afflatum inaeniat, eo animo eas oportet sumat legendas, Deo et ias qui eas scripserunt attentus ac docilis.

Inter ea quae Conventus adhuc perficienda mandavit, illud est quod ad seria ac profundiora refertur studia, de quibusdam ma-

teriis his capitibus tractari coeptis. Ad quae peragenda, omnes hortantur Sodales ut, partem sibi pro suo quisque ingenio sumere velint: scilicet, attente legentes, opportunas proponentes interrogationes, huiusmodi investigationibus in omni gradu fraterne participantes. Ante omnia insuper optandum est, ut haec Constitutionum ac Statutorum principia, seu normae, in Congregationis vita naviter ac fideliter veluti exemplata fiant.

Siquidem, memanisse auvabit Sanctum Vincentium, apud Regulas Communes Congregationis, in ipso capitum primi et postremi initio, Christi exemplum induxisse magni Magistri, qui « coepit facere et docere ». Quod exemplum et Sodalibus convenit, quibus hic offertur libellus; ut ea, scilicet, quae in eo utilia ac salutaria legentes inveniant, suo quisque exhibeant opere. Renovatam quippe vitam reapse exercere, hoc maxime ac maxime interest: revera, ubi vita cum Christo desit, aut Sancti Vincentii spiritus, nec iam exarata scripta nec studia peragenda quidquam profutura videantur.

Dignetur Deus lumen et virtutem suam adeo Sodalibus nostris largiri, ut omnes, sese in tanto opere corresponsabiles - ut aiunt - agnoscentes, renovatas ad vitae sanctitatem ac ministerium vias, pro domibus, ecclesiis Congregationisque apostolatu, firmo gressu apertant ac designent, quatenus singulorum opera clarius efficaciusque vinctianae sensum vocationis exprimant, quam quae hisce impressis foliis continentur.

Congregatio, autem, per aliquot annos experientia exercitata, quae optima esse usu didicerit, ea Ecclesiae auctoritati firmiter tandem praesentabit approbanda.

Romae, die 14 Septembris 1969.

[James W. Richardsdon, C.M.]

Nota editoris :

... Numeri asterisco (*) signati ad Statuta pertinent, iudicio uniuscuiusque commissionis particularis.

~~CONVENTUS GENERALIS XXXIV^{us} EXTRAORDINARIUS I^{us}~~

**CONSTITUTIONES ET STATUTA
CONGREGATIONIS MISSIONIS**

I. - DE FINE CONGREGATIONIS

1. - Spiritu Christi impulsus, Vincentius a Paulo missionem Christi et Ecclesiae sibi participare elegit potissimum in eo quod ad pauperes evangelizandos eosque sublevandos nititur.

Imaginem Christi pauperis in pauperibus agnoscens, omnes infirmitate humana afflictos amore circumdedit et Christo in ipsis inservire contendit. Necessitates insuper populorum attendens, bonos pastores formare et inspirare curavit, necnon laicos, qui huius mundi derelictos imprimis adirent.

2. - Ad haec prosequenda instituit Congregationem Missionis, cui finem constituit: 1° Propriae perfectioni studere, nitendo scilicet pro viribus virtutes exercere, quibus Christus nos verbo et exemplo instituere dignatus fuit; 2° Evangelizare pauperibus, maxime ruricolis 3° Ecclesiasticos adiuvari ad scientias virtutesque acquirendas, ipsorum statui requisitas.

3. - Congregatio Missionis hunc finem, sibi a Fundatore traditum, secundum charisma et exemplum ipsius, pro virium suarum tenuitate, fideliter sequi sibi proponit, pro temporum et locorum adiunctis.

4. - Ideo Congregatio curabit in lumine illius missionis diiudicare et ordinare omnia sua pastoralia opera et ministeria necnon seipsam indesinenter reformare.

Signa autem temporum prospectans, voluntatem Dei in urgentioribus Ecclesiae et hodierni mundi necessitatibus agnoscet, pauperum semper memor, secundum praedilectionem sancti Vincentii.

5. - Pauperum proinde evangelizatio eorumque promotio humana et christiana ipsi erit in signum quod omnes sodales in unum congreget et ad apostolatam impellat. (1)

(1) In Sessione LXII, die 3 iulii 1969, Conventus per suffragium declaravit sequentes propositiones esse veras interpretationes textus approbati *De fine* Congregationis: « 1°. - Evangelizatio pauperum eorumque promotio humana et christiana praeminens est finis, non autem unicus, Congregationis Missionis. 2°. - Evangelizatio pauperum eorumque promotio humana et christiana est criterion in se sufficiens, sed non necessarium, nostra opera seligendi ».

II. - DE NATURA CONGREGATIONIS

6. - In prosecutionem missionis Christi et Ecclesiae Congregatio Missionis societatem apostolicam sese agnoscit.

Indole sua saeculari humanae realitati inserta, in mundi conditionibus mutationibusque actuose operatur.

Iuxta mentem sancti Fundatoris, vitae et laboris in Ecclesia locali participat, tamen quo magis in bonum Ecclesiae universae disponibilis sit meliusque unitatem suam spiritualem et apostolicam servet, soli Sanctae Sedi subiecta manet.

7. - Sodales, clerici et fratres, in communi viventes et laborantes, perfectae caritati per consiliorum evangelicorum praxim se dedicant, illamque in vera communione fraterna, in Dei famulatu et in actione sua missionaria ad salutem hominum, praesertim pauperum, exercere student.

III. - DE SPIRITU CONGREGATIONIS

8. - Spiritum suum Congregatio Missionis ut participationem Spiritus ipsius Christi in Ecclesia indesinenter operantis discernit, ac veluti continuatam charismatis sui Fundatoris praesentiam excolit.

9. - Spiritus proinde Congregationis intimas illas animi dispositiones comprehendit, quas S. Fundator in Christo pauperibus evangelizante contemplantur et sodalibus, quo melius finem apostolicum proprium attingerent (RC I, 3), iam ab initio commendabat : perfectam caritatem ac reverentiam ad Patrem, compatiens et actuosum amorem erga pauperes, divinae Providentiae docilitatem.

10. - Congregatio suum spiritum quaerit exprimere illis quinque virtutibus, ex peculiari Christi visione quoque exhaustis: simplicitate, scilicet, humilitate, mansuetudine, mortificatione, zeloque animarum, de quibus sanctus Vincentius dixit: « Congregatio his colendis atque exercendis accuratius incumbet, ita ut hae quinque virtutes sint veluti facultates animae totius Congregationis, omnesque nostrae singulorum actiones illis semper animentur ».

11. - Ideoque, adiunctis temporalibus mutantibus, has virtutes, quae iam nos recte erga Deum disponunt et ad perfectam caritatem prosequendam valde adjuvant, Congregatio insimul intellet ut principium vitale continuae conversionis et accommodatae renovationis sui ipsius apostolatus.

12. - Et quamvis huiusmodi spiritum vix unquam intellegere aut eo imbuere poterimus illa perfectione quam apud sanctum

-89-

[5]

Fundatorem invenimus, omnes illius profundiori semper cognitioni studebimus illumque magis in dies totis viribus induere nitimur, ad Evangelium, sicuti ad fontem vitae christianae, et ad exemplum sancti Vincentii eiusque doctrinam, in Regulis Communibus praesertim contentam, perpetuo redeuntes.

Memores etiam erimus necessarium esse ad spiritum Congregationis prosequendum ut opera apostolica exerceamus ex ferventi amore Dei et proximi, atque ex profunda aestimatione dignitatis humanae et christianae filiorum Dei quibus inservire intendimus.

IV. - DE VITA CONGREGATIONIS

13. - A Deo vocati ipsius voluntatem adimplere contendimus in diversis vitae nostrae aspectibus. Quod in hoc capite dicitur, unum totum atque indivisibile efformat et nos urget ad vocationi vinctianae nostris temporibus plene ac fideliter respondendum.

1. - DE ACTUOSITATE APOSTOLICA

14. - Vocati sumus ad missionem Christi in Ecclesia participandam, manifestationem et adimplentem amoris Dei erga homines annuntiando.

15. - Christum sequentes, qui habitavit in nobis et condicionem nostram humanam assumpsit, nos, omnibus omnia facti eorumque vitae consortes, conversatione sincera ac spiritu comprehensionis et dialogi, volumus hominibus inservire.

16: - Activitas nostra missionaria semper actioni pastorali Ecclesiae localis et Universalis inseri debet, iuxta instructiones ab Ordinario loci, a Coetibus Episcoporum et a Sancta Sede prolatas.

17. - Provinciae autem ipsae iudicabunt de formis apostolatus quibus Ecclesiae localis necessitatibus respondeant. Attamen, corresponsabilitati obsequentes, Superiori Generali, in auxilium operis Ecclesiae Universalis vel alicuius Provinciae eas vocanti, pro viribus attendent, in iis praecipue quae populos in via progressionis respiciunt.

18. - Sentientes cum Ecclesia, in statu conversionis permanebimus, per profundiore cognitionem realitatis mundi, Evangelii Christi et spiritus Sancti Vincentii. Novas etiam aperire vias non dubitabimus, incepta promovendo quae concretis rerum personarumque condicionibus ac mutationibus active respondeant.

-90-

[6]

19. - In iis autem omnibus, caritas Christi, forts totius apostolicae actuositatis, nobis tribuit unitatem et vim.

20. - Insertionem vero nostram in actione pastoralis Ecclesiae, iuxta charisma Fundatoris nostri peragimus.

21. - § 1. Cum enim Sanctus Vincentius se ad pauperibus corporaliter et spiritualiter serviendum devovisset, nos quoque, in evangelizationis opere, sortem nostram praecminentem pauperes consideramus, ut illis salutis mysterium, liberationis et promotionis fermentum, annuntiemus.

§ 2. Ab initio Congregatio magno cum fructu Missiones ad Populum peregit. Hodie autem, opus evangelizationis, hominum etiam per alias diversas formas cuique nationi aptatas aggrediemur, tum ad fidem in cordibus non-credentium suscitandam, tum ad renovationem et aedificationem verae communitatis christianae.

§ 3. In locis etiam ubi Ecclesia nondum plantata est vel nondum sibi sufficiens, nos omnes, sub ductu Superioris Generalis, multiplicibus necessitatibus evangelizationis serio et diligenter respondebimus.

Unicuique nostrum, in quocumque ministerio laboranti, possibilitas concedatur concrete opera nostra missionalia adiuvandi.

22. - Sacerdotum ordini, in adiunctis pastoralibus et humanis quae saepe profunde mutantur, servitio erimus, ad presbyteros in vita et ministerio fraterne coadiuvandos, ad vocationis germina fovenda et excolenda et ad clericorum institutionem perficiendam.

23. - 'Signis' autem 'temporum' attenderimus, ut urgentioribus necessitatibus Ecclesiae et mundi sollicite nostra opera respondeamus.

Magnum itaque momentum educationis agnoscentes, docendi et educandi munus, ubi opus est, assumemus.

24. - Cum Filiabus Caritatis, secundum communis vocationis spiritum, specialem collaborationem habebimus; quando autem a Superioribus deputati erimus, libenter ministeria praestabimus, ut ipsae in amorem Dei et in servitium proximi crescant.

25. - Quo fructuosior apostolatus noster evadat, fraterna cooperatione sive cum clero dioecesano, sive cum institutis religiosis, sive cum laicis libenter adlaborabimus. Peculiari curae erunt laicorum consociationes a spiritu Sancti Fundatoris promanantes.

26. - Dialogum oecumenicum quaeremus atque in re tam religiosa quam sociali et culturali cum aliis sive christianis, sive

-91-

[7]

non christianis, immo et non-credentibus cooperabimur; relationes vero cum organismis nationalibus et internationalibus ad hunc finem habebimus.

27. - Evangelizationis complures exigentias non solum ipsi adibimus, sed in aliis etiam conscientiam et actuositatem in pauperum servitium promovebimus.

28. - Insertio apostolatus nostri in Ecclesia exigit ut spiritum nostrum continuo excolamus et methodos nostras indesinenter perficiamus. Ideo ex aliorum etiam experiētiis aptiora assumemus, inter Provincias congressus vincentianos fovebimus, atque mediis technicis utemur quae communicationi sociali inserviunt.

2. - DE COMMUNIONE FRATERNA

29. - Voluntati Sancti Vincentii obsequentes, sicut Apostoli cum Christo, in communione fraterna vivimus et christianam communitatem operum, orationis et bonorum efformamus, quae profectui apostolatus nostri et propriae personae faveat.

30. - Grato animo erga Deum talenta ab ipso accepta augere conabimur. Communitas vero eas condiciones provideat oportet quae revera cuiusque profectum foveant. In spiritu libertatis christianae viventes, sensum communitatis, intimam amicitiam et gaudium in apostolatu inveniemus. Unicuique nostrum, quantum fieri potest, opportunitas praebeatur sese praeparandi operi ad quod explendum peculiari aptitudine pollet, ita ut ipse postea, eidem operi assignatus, apostolatu communitatis efficacius inseratur.

31. - Omnes congruum respectum habebimus circa ea quae ad privatam vitam confratrum spectant; unicuique vero aliquantum temporis pro studio et relaxatione tribuatur. Hoc modo dignitas personae specialiter exprimi potest. Attamen, nosmetipsos nostraque omnia impendendo, communitati semper praesto aderimus.

32. - In vera communitate exstruenda unusquisque de eiusdem vita et apostolatu corresponsabilem se sentiat. Ideo in decisionibus proferendis, in vita et labore ordinandis, in executione consiliorum atque in periodico examine valorum totius vitae et activitatis nostrae, praesertim in luce Concilii Vaticani II peragendo, fraternus dialogus instituatur.

33. - Fructus nostrae cooperationis eo ditiores erunt, quo intensius orationi communitariae vacabimus et verius in caritate christiana vivemus. Obsequium erga dignitatem et opiniones confratrum, mutua comprehensio, confidentia, auxilium et indul-

-92-

[8]

gentia in ipsos, iuxta monita Regularum Communium, semper inter nos vigeant.

34*. - Confratribus qui soli vivere coguntur, ea necessitudine adiuncti erimus, qua ad pericula solitudinis superanda ipsi adjuvari queant.

35*. - Aegrotantes, infirmi, senescentesque confratres nobis, sicut Sancto Vincentio, cordi erunt. Praeter curam medicam et vitae solatium, eis peculiare partes in vita familiari et apostolatu nostro, pro ipsorum viribus reservabimus. Confratres difficultatibus laborantes fraterno et tempestivo adiuvamine afficere contendemus. Cum iis vero qui a nobis recesserunt, amicitiam servare studebimus, ipsisque, si casus ferat, subvenire nitentur, quippe qui nostri laboris socii pridem fuerint.

36*. - Fraternali conversationem, ad eos omnes qui nobis in vita et labore associantur, libenter extendemus. Iis autem, qui aliquam operam nobis praestant, non solum aequum solvere curabimus, sed etiam personalem sollicitudinem ostendemus eosque in nostram consociationem laboris admitteremus.

37. - Officia erga genitores fideliter implebimus. Gaudium et luctum familiae cuiusque confratris sincere participabimus. Iis qui proxime nobis degunt, ita praesentes erimus ut mutua communicatio foveatur. Hospites demum aperto animo excipere studebimus.

38. - Vitam communem ita prosequentes, revera in salvifica missione Christi partem habebimus Eiusque inter nos praesentiae signum efficiemur.

3. - DE PRAXI CONSILIORUM EVANGELICORUM

39. - Cum unusquisque habeat proprium donum a Deo (cf. 1 Cor. 7,7), nos illum modum sequendi Christum amplectimur qui in castitate et coelibatu propter regnum coelorum exprimitur.

40. - In prosecutione missionis salvificae Ecclesiae, societati coniugali voluntarie renuntiamus, ut amor erga Deum et homines corda latius patefaciamus.

41. - Intima unio cum Christo, communio vere fraterna, instantia in apostolatu, ascesis ab experientia Ecclesiae probata, efficient ut castitas nostra sit semper fecunda. Ita per continuam et maturam responsionem vocationi divinae, tota nostra agendi ratio erit laeta expressio illius amoris inter Christum et Ecclesiam qui in futuro saeculo plene manifestabitur.

-93-

[9]

42. - Vocati ad efformandam communitatem apostolicam, nosmetipsos, talenta et bona materialia impendimus ad promotionem laboris apostolici in bonum hominum, sequentes exemplum Christi evangelizantis pauperibus, qui propter nos egenus factus est cum esset dives, ut, illius inopia, nos divites essemus. (*2 Cor. 8,9; Matth. 8,20*).

Liberi a nimia sollicitudine divitiarum, inquietudines atque angores hominum percipere valebimus et promptiores nos sentiemus ad illis subveniendum, faciliusque Deum in ipsis invenire poterimus.

43. - Fructus laboris uniuscuiusque sodalis bona Communitatis erunt, ut veram communionem bonorum constituamus et fraterno adiumento nos mutuo prosequamur.

44. - In progressu societatis humanae et communitatis nostrae partem activam habebimus; ideoque in suo quisque officio explendo, universali legi laboris sese obnoxium sentiat.

Quae ad sustentationem et promotionem sodalium atque profectum operum necessaria sunt, ex omnium conatu potissimum procedant; vitantes autem omnem cumulationem bonorum, aliquid etiam in favorem aliorum necessitatum erogare studebimus.

45. - Omnes meminerimus quod in usu bonorum haud sufficit tantum habere consensum Superiorum, sed oportet ut unusquisque perpendat quid aptius et conformius sit ad vitam et ministerium nostrum, iuxta mentem et spiritum Sancti Vincentii in Regulis Communibus expressa.

Modus vivendi et domus nostrae condicionibus et circumstantiis locorum et personarum, quibus ministeria nostra praestamus, aptentur. Media apostolatus, etsi efficaciora et moderniora, omni specie ostentationis careant.

Bona autem propria non tantum pro nobismetipsis utiliter adhibebimus, sed etiam, quantum possibile sit, vitata omni differentia inter nos, de iisdem in commodum aliorum confratrum vel operum caritatis sponte disponamus.

46. - Authenticitas vocationis nostrae una cum existentia indigentiae in mundo urget nos ut frequenter, privatim et in communi, examen faciamus circa nostrum modum vivendi et laborandi, circa collocationem bonorum et adimplentionem iustitiae et caritatis. Unaquaeque Provincia et communitas localis, attentis propriis circumstantiis, modum aptiorem servandi evangelicam paupertatem quaerat, pro certo habentes, hanc esse non tantum propugnaculum communitatis, sed etiam condicionem renovationis et signum progressus nostrae vocationis in Ecclesia et in mundo.

47. - Sub ductu Spiritus Sancti, nos simul, Superiores et aonfratres, memores condicionem nostram humanam limitatam

-94-

[10]

esse, communi sollicitudine voluntati Christi salvificae, multiplici modo sese nobis manifestanti, oboedire studebimus.

48. - Mutuo experientiarum dono, aperto et responsabili dialogo, in quo diversae aetates et animi habitudines inter se occurrunt, directiones et tendentiae maturescunt et Superiores adiuvantur ad decisiones ferendas. Quorum decisionibus, quamvis sententiam nostram meliorem esse existimemus, in lumine fidei obsequi conabimur.

49. - Qui Superiorum officio funguntur, bene scientes unumquemque, secundum proprium charisma et munus, ad aedificationem Corporis Christi vocari, auctoritatem in spiritu servitii exercere nitentur. Confratribus confidentes, ipsorum iniciativam et collaborationem promovebunt, atque peculiari modo unitatem in communitate curabunt; communio enim mentis et cordis ad cognitionem et adimplerionem consiliorum Dei multum affert.

50. - Mysterio Christi adhaerentes, qui factus est oboediens usque ad mortem, nos per praxim oboedientiae individualismum superare intendimus, ut modo magis ordinato et efficaci Ecclesiae inservire possimus, Summo Pontifici fidelitatem nostram exhibendo et consociatam operam pastoraalem participando iuxta Episcoporum praescriptiones.

51. - Nostrae apostolicae vocationi attenti, Deo totaliter mancipamur, nos toto vitae tempore in Congregatione devovendo evangelizationi hominum, maxime pauperum, iuxta spiritum et exemplum Fundatoris nostri; atque evangelicorum consiliorum castitatis, paupertatis et oboedientiae praxim, iuxta Constitutiones, amplectendo, perfectae caritati nos dedicamus, et consecrationem quae in baptisate radicatur plenius exprimimus. Quam donationem, continua nostra conversione renovandam, votis firmamus.

52. - Vota nostra sunt unice perpetua; privata, seu vim habentia coram Deo, quin Ecclesia vel Congregatio ea recipiat; reservata ad tenorem Brevis Ex Commissa *Nobis*, ita ut nonnisi Romanus Pontifex necnon Superior Generalis in actu dimissionis ab eis dispensare possint. Eadem autem ad ~~incorporationem~~ **vinculationem** definitivam Congregationi requiruntur eamque confirmant.

53. - Seminario Interno peracto, sodales Congregationis vota iuxta Constitutiones emittunt tempore a Conventu Provinciali statuto.

54. - Formula emissionis haec est:

« Ego NN..... voveo Deo me evangelizationi hominum, maxime pauperum, toto vitae tempore in Congregatione fideliter

-95-

[11]

dedicaturum. In sequela autem Christi Salvatoris, castitatem, paupertatem et oboedientiam voveo, iuxta Instituti nostri Constitutiones, gratia Dei adjuvante ».

DECRETA TEMPORARIA DE MATERIA VOTORUM.

4. ~~Norma~~ *Norma provisoria circa quaestiones particulares de paupertate.*

Nolens statuere normas concretas de paupertate validas pro universa Congregatione, Conventus confirmavit Decretum Primum articulo 54 annexum in hoc sensu:

Conventus Provincialis vel Viceprovincialis accommodet normas circa praxim paupertatis, iuxta Constitutiones a Conventu Generali Extraordinario (1968-1969) exaratas, et iuxta spiritum

Statuti fundamentalis paupertatis Congregationi ab Alexandro VII dati (*“Alias nos supplicationibus”*) et Regularum Communium.

~~Conventus Provincialis vel Viceprovincialis accommodet normas circa praxim paupertatis, iuxta Statutum fundamentale paupertatis Congregationi ab Alexandro VII datum (*Alias nos supplicationibus*, 12-8-1659), iuxta Constitutiones a Conventu Generali Extraordinario (1968-1969) exaratas et spiritum Regularum Communium.~~

~~2. – *Studia peragenda circa vota et alia argumenta.*~~

~~Congregatio Missionis studia seria et profunda sub ductu Superioris Generalis annis proximis eo peraget, ut theologiam de vita christiana, de fine Congregationis, de consiliis evangelicis, de votis in sua vita communitaria et de ceteris quaestionibus fundamentalibus ad nostram vitam pertinentibus, ante Conventu Generalem proximum praeparet.~~

4. - DE SPIRITU ORATIONIS

55. - Vita nostra christiana in vinentiana perficitur vocatione quae eo nos congregat, ut Christo in hominibus, praesertim pauperibus, secundum necessitates Ecclesiae et mundi hodierni serviamus. Sincere et indefesse hoc facientes, sanctitatem peculiari nostro modo consequemur.

56. - Intimam communionem cum SS. Trinitate tamquam fundamentum nostrae vitae spiritualis agnoscentes, Dei erga nos amorem in Verbo Incarnato eiusque paschali mysterio experimur et colimus. Beatam Virginem Mariam, quae mysterii salutis prima particeps fuit, et ad illud participandum, missione a Deo sibi concredita, nos ducit, speciali devotione honoramus.

57. - A sancto Vincentio, in Congregatione, omnia et omnes in Christo videre et sentire discimus, atque voluntatem et actionem nostram voluntati et actioni Christi, in nobis et per nos opus suum continuantis, conformare studemus.

58. - Cum fidelitas erga Christum a fidelitate erga ipsius Ecclesiam seiungi nequeat, intensius cum Ecclesia sentire eiusque vitam tota mente et omnibus viribus participare debemus. Libenter quoque auxilia ad nostrum profectum ab ipsa commendata, imo et aliquando iussa, adhibemus.

59. - Quamvis omnis in Spiritu Christi actuositas, praesertim vero servitium proximi, nostram cum Deo unionem alat, tamen ad eam intimiorem faciendam specifi actus requiruntur.

-96-

[12]

60. - Sacram Scripturam, qua voluntatem Patris et cognitionem Filii eius Iesu Christi ediscimus, assidue perlegemus, et de ea aliquoties inter nos colloquium habebimus.

61. - Haec autem lectio quotidie oratione mentali compleri debet, quae, sub ductu Spiritus, idoneos nos reddat turn ad sensum Christi percipiendum, tum ad vias aptas inveniendas, ut hominibus evangelium communicare possimus. Signa quoque temporum inscrutari conabimur in historiae eventibus, quibus Deus nobis loquens, vult nos, cum hominibus conversantes, sanctos fieri. Fructus vero nostrae orationis libenter inter nos, pro opportunitate, dialogo fraterno communicabimus.

62. - Mysterium Eucharisticum fons et culmen totius vitae nostrae exstet; per Eucharistiam enim Christi mors et victoria repraesentantur, atque communitas Populi Dei significatur et efficitur.

63. - Officium divinum, quo Dominum laudamus et pro totius mundi salute interpellamus, rite celebrabimus.

64. - Scientes quod vita spiritualis conversionem continuam ad Dominum requirit, id praecipue Sacramento paenitentiae et spiritualibus inter annum secessibus assequi conabimur.

65. - Cum unicuique Deus mandaverit de proximo suo, et sanctitas in Congregatione donum mere personale considerari nequeat, sodalium communio obligationem caritatis secum fert, idcirco unusquisque nostrum fratres suos iuvare simulque ab ipsos adiuvari paratus erit.

66. - Quoniam vero tam diversa sunt locorum rerumque adiuncta, in quibus locales Congregationis communitates versantur, Provinciis committitur ut, attentis cuiuscumque domus exigentiis et opportunitatibus, horum principiorum ordinatio statuatur atque spirituales sodalium actiones disponantur.

V. - DE SODALIBUS CONGREGATIONIS

I. - DE SODALIBUS IN GENERE

67. - Sodales Congregationis, Clerici et Fratres, sunt discipuli Christi qui ad continuandam Eius missionem a Deo vocati et in dictam Congregationem cooptati, pro viribus nituntur suae vocationi respondere adlaborando iuxta doctrinam, mentem et instituta Sancti Vincentii a Paulo.

68. - Clerici, ad exemplum Domini Nostri Iesu Christi, Sacerdotis, Pastoris et Magistri, vocationem suam adimplent

-97-

[13]

per exercitium huius triplicis functionis in omnibus formis apostolatus quae ad finem Congregationis assequendum inservire possunt.

69. - Fratres, qui iam per Baptismum et Confirmationem sacerdotium regale Christi participant et ad apostolatum totius Ecclesiae ab ipso Deo deputantur, una cum clericis vocationem apostolicam Congregationis participant, quam operibus suae condicionis laicalis et consecratae propriis adimplent.

70. - Ubi id necessarium visum fuerit, servatis de iure communi et particulari nostro servandis, **et attentis normis cuiusque Conferentiae Episcopalis**, Fratres, ad diaconatum permeantem promoveri possunt.

71. - § 1. Ad Congregationem Missionis aliquis incorporatur primo cum, intentione sua scripto manifestata sese dedicandi iuxta Constitutiones ac Statuta nostra, ad finem Congregationis assequendum, a legitimo Superiore in scriptis declaratur admissus.

§ 2. **Incorporatio illa efficitur initio periodi formationis vel alio momento magis convenienti, prout in unaqueque Provincia eius Ratio Formationis propria determinat.**

§ 3. **Sodalis Congregationis Missionis a momento incorporationis usque ad vinculationem definitivam provisorie est vinculatus iuxta modum et tempus unicuiusque Provinciae proprium.**

§ 4. Sodalis pleno iure aliquis evadit cum, Seminarii Interni debita formatione acquisita, per vinculum definitivum Congregationi in perpetuum unitur.

§ 5. Vinculatio definitiva cum Congregatione habetur mediante promissione Superiori facta. Haec autem promissio, scripto exarata et a Superiore et a sodale subsignata, praesupponit emissionem votorum ut ultimum requisitum Constitutionum.

§ 6. Conventus Provincialis determinet modalitates practicas ineundi vinculationem tam provisoriam quam definitivam cum Congregatione.

2. - DE IURIBUS ET OBLIGATIONIBUS SODALIIUM

72. - Omnes sodales Congregationis Missionis, nisi tura rei aliud constet, gaudent iuribus et privilegiis et gratis spiritualibus Congregationi concessis ad normas iuris communis et particularis nostri.

73. - § 1. Iura et obligationes sodalium vinculo definitivo cooptatorum eadem sunt, illis exceptis quae exercitium ordinis eique adnexam iurisdictionem respiciunt.

§ 2. Omnes igitur participationem in consultationibus Conventibus iuxta Constitutiones ac Statuta obtinent.

§ 3. Officia autem et munera assignantur attentis uniuscuiusque idoneitate et aptitudine.

74. - Sodales possunt litteras mittere et recipere nulli obnoxias inspectioni.

-98-

[14]

75. - Sodales Congregationis Missionis communibus obligationibus clericorum tenentur, nisi ex natura rei aliud constet.

76. - Constitutiones vero ac Statuta aliasque normas in Congregatione vigentes, activa et responsabili oboedientia omnes servare debent.

77. - Item, observent normas ab Ordinariis locorum promulgatas, salvo iure exemptionis nostrae.

78. - Sodales vero vinculo nondum definitivo in Congregationem cooptati, praeter privilegia et gratias spirituales Congregationi concessa, iis tantum iuribus fruuntur obligationibusque tenentur **nisi quae** in Constitutionibus ac Statutis aut normis Provincialibus pro eis determinentur. Ius similiter habent ad ea quae requiruntur ut efficaciter ad suam incorporationem definitivam praeparentur.

79*. - Congregatio, tempore opportuno, cautiones validas etiam in foro civili assumet, ut iura tum sodalis tum Congregationis debite serventur, in casu quo sodalis sponte egrediatur aut dimissus fuerit.

80*: - § 1. Ius est uniuscuiusque sodalis ut in tota Congregatione suffragia pro eo offerantur cum decesserit. Igitur:

§ 2. Singulis mensibus unusquisque sodalis iuxta condicionem suam Missam offerat pro omnibus defunctis duplicis familiae videntianae eiusque benefactoribus, pro sodalium propinquis et pro iis qui Congregationi cooptati sunt, addendo specialem intentionem pro conservatione spiritus Congregationis primigenii.

§ 3. Pariter, alteram Missam offerat pro sodalibus totius Congregationis eodem mense defunctis.

§ 4. Ulteriores determinationes ab unaquaque Provincia statuuntur.

3. - DE ADSRIPTIONE SODALIIUM ALICUI PROVINCIAE ET DOMUI

81*. - § 1. Quemlibet sodalem Congregationis Missionis oportet esse alicui Provinciae et domui **vel operi ad instar domus** adscriptum.

§ 2. Superior tamen Generalis, Assistentes, Secretarius et Oeconomus Generales, et Procurator Generalis apud Sanctam Sedem, Provinciam, ad effectos iuridicos, durante munere, non habent.

§ 3. Idem dicitur de aliis domui Generalitiae adscriptis, salvo iure vocis activae et passivae quod in sua Provincia servant.

-99-

[15]

82*. - § 1. Sodalis Congregationis Missionis adscribitur Provinciae pro qua Superiores legitime eum in Congregationem admittunt. Quae Provincia dicitur Provincia originis.

§ 2. Nova sodalis adscriptio acquiritur per destinationem ex una ad aliam Provinciam a Superioribus legitime factam. Quae Provincia dicitur Provincia destinationis.

83*. - Ut sodalis amittat unam Provinciam et aliam acquirat, salva semper Superioris Generalis auctoritate, exigitur tantum ut Superiores maiores competentes inter se conveniant, audito ipso sodali. Si autem sodalis invitus est, translatio ad aliam Provinciam sine approbatione Superioris Generalis effici non potest.

84. - Superior Generalis, expleto munere, libere eligat Provinciam.

85*. - Adscriptio Provinciae destinationis potest esse ad tempus indefinitum vel definitum. Si adscriptio fit ad tempus definitum, hoc elapso, sodalis immediate acquirit denuo adscriptionem Provinciae a qua destinatus fuerit, nisi Superiores competentes, audito ipso sodali, aliter inter se convenerint, ad normas Statutorum.

86*. - Documenta destinationis conficiantur et in archivis Provinciae cuius intersit serventur. Superior vero maior Provinciae a qua sodalis destinatur, notitiam de nova eius adscriptione ad Secretarium Generalem mittet.

87*. - Sodalis adscribitur domui **vel operi ad instar domus** per destinationem a legitimo Superiore factam.

88. - In domo **vel opere ad instar domus** et Provincia quibus sint adscripti, sodales, praeter vincula spiritualia, etiam vincula iuridica habent, quorum vi obtinent:

1° Proprium et immediatum Superiorem localem et maiorem;

2° Exercitium vocis activae et passivae;

3° Cetera iura quae ad vitam spiritualem, ministerialem et materialem pertinent, iuxta normas in Congregatione vigentes.

4. - PRINCIPIA GENERALIA DE FORMATIONE

89. - § 1. Nostra formatio eo tendere debet ut sodales, spiritu sancti Vincentii animati, vitam communitariam in Congregatione ducentes, idonei evadant ad opus apostolatus, pro sua cuiusque vocatione, peragendum.

-100-

[16]

§ 2. Sodales igitur magis in dies discant Iesum Christum eiusque mysterium esse centrum vitae nostrae ac fundamentalem legem Congregationis Missionis.

90. - § 1. Tempus formationis, sicut tota vita nostra, ita ordinetur ut caritas Christi nos magis ac magis urgeat ad finem Congregationis consequendum. Quem sodales, ut discipuli Domini, absque sui ipsius abnegatione et continua conversione ad Christum attingere non possunt.

§ 2. Normae vero disciplinae ita iuxta alumnorum aetatem applicentur, ut ipsi, dum gradatim sibimetipsis moderari addiscunt, libertate sapienter uti, sponte naviterque agere assuescant et ad maturitatem humanam perveniant.

91. - Inceptum personale magni est in omnibus vitae humanae rebus, quod maxime elucet in decisione qua quis vocationi Dei in Communitatem respondet. Communitas itaque servet illud et foveat in toto processu formationis, sed praesertim cum de sodalis incorporatione definitiva vel de accessu ad Ordines agitur.

92. - In formatione nostrorum vigeat coordinatio inter diversas institutionis rationes, et inter stadia successiva unitas organica servetur. Quae omnia ita ordinentur, ut in finem pastorem conspirent.

93. - Etsi alumni nostri in omni gressu formationis sua actuositatem finem apostolicum Congregationis consequuntur, omnes tamen iam ab initio, pro sua quisque formatione et possibilitate, praxi pastorali, praesertim cum aliis consociati, opportune exercentur.

94. - Praeter formationem communem, pro unoquoque nostrorum, quantum fieri potest, procuranda est formatio specifica et professionalis, quae ipsum ad opus apostolatus Congregationis ei magis consentaneum efficaciter exercendum reddat aptum.

95. - Curandum est ut in domibus formationis habeantur, prout necessitas postulat, confratres idonei, qui Confessarii ac Directoris spiritus munere fungi possint. Alumni autem eos regulariter adeant, ut in via Domini progrediantur.

96. - Formatio nostrorum, praesertim sub aspectu pastoralis, non tantum primis annis laboris apostolici curanda est, sed et toto vitae tempore proseguenda et renovanda est.

5. - DE VOCATIONIBUS FOVENDIS ET DE SCHOLIS APOSTOLICIS

97. - Sodales zelum apostolicum in fovendis et excolendis vocationibus ostendant atque peculiari modo curabunt de candidatis ad vitam vincentianam suscitandis.

-101-

[17]

In Scholis autem Apostolicis seu Seminariis minoribus, ubi adsint, alumni peculiari religiosa conformatione, imprimis apta moderatione spirituali, ad vitam Congregationis initientur et disciplinis eorum aetati consonis instituantur.

Meminerint vero sodales optimam commendationem pro nostra Congregatione esse exemplum vitae nostrae christianae et apostolicae.

6. - DE SEMINARIO INTERNO

98. - Seminarium internum est tempus intensioris et specificae formationis ad vitam missionemque Congregationis nostrae candidati, qui, vocatum se agnoscens, adiuvante et approbante Communitate, plenae ac liberae cooptationi in Congregationem paratur.

99. - Ideo tota ratio huius temporis eo tendere debet ut Seminaristae :

1° Maiorem maturitatem humanam et christianam acquirant;

2° Congruae cognitioni et experientiae vitae missionisque apostolicae Congregationis progressive initientur;

3° Ad consecrationis vitam per consiliorum evangelicorum praxim idonei gradatim efficiantur, atque parati aptique inveniantur ad obligationes eidem vitae inhaerentes libenter suo tempore assumendas.

100. - Quod ut assequantur, Seminaristae sedulo curabunt:

1° Studium et meditationem Evangelii totiusque Sacrae Scripturae impensius fovere;

2° Ecclesiae mysterium et vitam, aptioribus modis participare;

3° Doctrinam de vita consecrata per consilia evangelica, cognoscere et vivere;

4° Cognitionem peculiaris indolis, spiritus et munerum Congregationis acquirere, fontes adeundo, praesertim vitam atque opera S. Vincentii, Congregationis historiam et traditiones, necnon activam et congruam apostolatus nostri participationem;

5° Convenientem et concretam cognitionem hominum eorumque necessitatum et problematum acquirere.

101. - Seminaristae cum Communitate particulari apud quam vivunt integrantur et ab ea responsabiliter formantur, attamen cura peculiaris et immediata ipsos instituendi et modeandi Directori Seminarii committitur.

-102-

[18]

102. - Cuiusque Provinciae est propriam formationis rationem condere, quae, iuxta diversa adiuncta, principiis hic statutis, documentis et normis ab Ecclesia editis consonet.

103*. - Ius admittendi candidatos in Seminarium Internum spectat, servatis servandis:

1° ad Superiorem Generalem, audito suo Consilio, pro tota Congregatione.

2° ad Superiores Provinciales, audito suo Consilio, pro sua quisque Provincia.

104*. - Superioris Provincialis est, audito suo Consilio, dimittere Seminaristas ob iustas et rationabiles causas. Quae, quantum possibile est, sodali in colloquio benevolo manifestentur.

105*. - Circa validitatem et liceitatem admissionis in Seminarium Internum, apud nos, quamvis non simus Religiosi, ea tantum vigent impedimenta, quae a iure communi pro admissione ad Novitiatum Religiosorum statuuntur.

106*. - § 1. Candidati antequam admittantur, exhibere debent documenta Baptismatis et Confirmationis, atque testimonia sufficientia de sua vita et idoneitate.

§ 2. Iudicium autem de eorum maturitate humana et spirituali pro admissione in Seminarium Internum ad Superiorem Provinciale, audito suo Consilio, pertinet.

107*. - Seminarium Internum pro unoquoque incipit cum ipse a Directore vel ab eius vicem gerente receptus declaratur.

108*. - Seminarium Internum peragi potest in una vel in pluribus domibus Congregationis a Superiore Provinciali, cum suo Consilio, electis.

109*. - § 1. Seminarium Internum saltem per duodecim menses sive continuos sive intermissos protrahi debet. Si menses vero intermittantur, cuiusque Provinciae erit numerum mensium continuorum determinare.

§ 2. Ad singulas Provincias pertinet etiam statuere tempus hanc periodum curriculo studiorum inserendi.

110*. - Pro his qui aetate propecta Congregationem petunt, pro ipsorum humana et christiana maturitate, opportunae aptationes a Superiore Provinciali induci possunt.

7. - DE SEMINARIO MAIORE

111. - Tempus Seminarii Maioris in Congregatione ad completam institutionem sacerdotii ministerialis tradendam ordinatur, ita ut alumni nostri, ad exemplar Christi veri animarum

-103-

[19]

pastore, ipsi formentur ad Evangelium praedicandum, divinum cultum celebrandum fidelesque pascendos.

112*. - § 1. Domus Seminarii Maioris, prout necessitas postulat, potest esse vel propria unius Provinciae vel pluribus Provinciis communis.

§ 2. Alumni nostri possunt ad aliam Provinciam, vel ad alium Centrum approbatum mitti, ut ibi studia ecclesiastica sequantur. Curetur tamen, hoc in ultimo casu, ut ipsi vitam communem, iuxta Congregationis morem, ducant et convenientem formationem vincentianam recipiant.

§ 3. Ubiunque nostri habitent, vita familiae floreat simulque fraternitas inter sodales eiusdem Provinciae praeparetur; ubi autem multi sint alumni, apta ratione in coetus minores distribui possunt ut etiam singulorum conformationi personali melius provideatur.

113*. - § 1. Sodales nostri, tum Moderatores tum alumni, mutuae comprehensioni et fiduciae dispositi atque constantem et activam habitudinem inter se habentes, veram communitatem educativam constituent.

§ 2. Moderatores igitur studeant ut collegialiter procedant, quod secum fert, ut saepe etiam cum alumnis conveniant.

§ 3. Specialis tamen et immediata cura alicui confratri vel, si casus ferat, pluribus confratribus committatur.

§ 4. Cum alumnorum institutio maxime ab idoneis educatoribus pendeat, Moderatores et Magistri nostri solida doctrina, congrua experientia pastoralis et peculiari institutione spirituali et paedagogica praeparentur.

§ 5. Speciali modo continua Moderatorum et Magistrorum renovatio, omnibus mediis, procuranda est.

114*. - In singulis Provinciis peculiaris sit Institutionis ratio quae, attentis diversis adiunctis, praeter nostrae Congregationis Constitutiones et Statuta, obsequatur turn Concilii Vaticani II de institutione sacerdotali documentis, turn particularibus Sanctae Sedis et Conferentiarum Episcoporum normis.

115*. - § 1. Durante processu formationis, Superior Provincialis, auditis Moderatoribus et suo Consilio, interruptiones studiorum et licentiam manendi extra domum alumnis nostris, iusta de causa, concedere potest.

§ 2. Superior Provincialis potest etiam protrahere limitem aetatis iure communi pro Sacris Ordinibus expostulatum et statuere ut alumni, expleto curriculo theologico, per congruum tem-

-104-

[20]

pus diaconalem exercent Ordinem antequam ad sacerdotium promoveantur.

116*. - Foveatur mutua cognitio inter alumnos e diversis Congregationis Provinciis.

8. - DE FRATRUM FORMATIONE

117. - Cura peculiaris impendatur ut Fratres ad suam missionem in Congregatione fideliter implendam formentur.

118. - Integra eorum formatio, humana sit oportet et spiritualis, doctrinalis et practica, atque ita uniuscuiusque ingenio conditionibusque accommodata, ut ad apostolatum efficaciter exercendum praeparentur.

119. § 1. Specialis Fratrum institutio culturalis et technica, opportune fiat per curricula regularia in scholis ubi congruenter titulum seu diploma acquirant.

§ 2. Eorum vero institutio in Seminario Interno eadem ac clericorum esse oportet, nisi speciales circumstantiae aliud suadeant.

120. - Cum vero formatio ad apostolatum nequeat in sola instructione theoretica consistere, gradatim applicentur Fratres ad apostolatum ut omnia sub lumine fidei aspicere, iudicare et agere, atque per actionem seipsos cum aliis efformare ac perficere discant.

121. - Fratrum autem progressus et renovatio, postquam ipsi ad munia destinati sunt, enixe curentur.

9. - DE EGRESSU

122*. - ~~Expleto~~ **Expleta** tempore professionis temporariae ~~vinculatione~~ **provisoria**, sodales libere possunt Congregationem deserere (1).

(1) Quae statuuntur in articulis 122*-124*, valent pro illis qui vota temporaria iam emisissent, et, mutatis mutandis, pro illis qui alio vinculo non definitivo Congregationi cooptantur.

123*. - § 1. Cum sodalis Congregationis a ~~professione temporanea~~ **vinculatione provisoria**, ob iustas et rationabiles causas, ~~ad normam iuris communis et particularis nostri dispensationem a votis dissolutionem~~ petit, eam illi concedere potest Superior Provincialis ~~eum consensu sui Consilii~~.

§ 2. Clericus vero qui ad Ordines promoveri invitus est, sed vult in Congregatione manere ut Frater, a renovanda ~~pro-~~

-105-

[21]

~~fessione temporanea,~~ **vinculatione provisoria** vel a ~~professione perpetua emittenda,~~ **vinculatione definitiva**, dummodo idoneus sit, ne excludatur.

124*. - Superiores, ad normam iuris particularis nostri, ob iustas causas, sodalem a ~~professione vinculatione sive provisoria sive definitiva~~ **vinculatione sive provisoria sive definitiva** ~~sive temporanea sive perpetua~~ excludere possunt, ~~non tamen ratione infirmitatis, nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam.~~

125*. - Sodalibus qui a S. Sede vel a Superiore Generali obtinuit indultum vivendi pro tempore extra Congregationem,

§ 1. votis ceterisque suae professionis obligationibus quae cum suo statu componi possunt, manet obstrictus;

§ 2. suae sustentationi et necessitatibus ipse provideat; si autem in indigentia versetur, Congregatio ei subvenire debet;

§ 3. perdurante tempore indulti gaudet tantum privilegiis spiritualibus Congregationis;

§ 4. in Conventibus nostris ius ad activam et passivam vocem non habet, nisi Superior Generalis id expresse ipsi concesserit.

126*. - Superioris Provincialis est monere sodalem de fine temporis indulti ut, aut novum indultum obtineat, aut in Congregationem redeat, quo in casu Secretariatum Generalem de re certiore faciat.

127*. - Sodales legitime egressi vel ad normam iuris dimissi et a votis dispensati, a Congregatione separantur et ab omni obligatione a votis proveniente liberantur: si sunt clerici, iure communi clericorum reguntur. Superiores autem et confratres debent erga ipsos sollicitudinem et christianam caritatem exercere.

128*. - Sodales qui e Congregatione illicite egrediuntur, normis iuris communis subiciuntur. Superiores tamen debent eos sollicite requirere et ipsos, si sincere redeant, benigne suscipere.

129*. - Quoad dimissionem sodalium servantur ea quae iure communi statuuntur.

129 bis. Auctoritas reincorporandi aliquem in Congregationem pertinent:

1. ad Superiorem Generalem pro iis qui definitive vinculati fuerant;

2. ad Superiorem Provinciale pro iis qui provisorie vinculati fuerant.

DECRETUM CONVENTUS GENERALIS

~~Ius Superioris Generalis permittendi experimenta, etiam contraria normis de formatione sodalium statutis, in vigore remanet usquedum indultum S. Sedis permittendi experimenta expiret aut Conventus Generalis Constitutiones ac Statuta definitive approbet.~~

-106-

[22]

VI. - DE REGIMINE

1. - PRINCIPIA GENERALIA

De Superiore Generali

130. - Sodales omnes, cum vocati sint ut operam suam praestent ad pergendam missionem Christi, scire debent se habere tum responsabilitatem collaborandi ad bonum totius communitatis apostolicae, tum officium et ius effective participandi regimini Congregationis, ad normam iuris particularis. (1) Ideoque sodales, in muneribus obeundis, in inceptis apostolicis suscipiendis et in praeceptorum executione, activa atque responsabili oboedientia cooperentur.

~~(1) Commissio de regimine, in redigendis textibus, consulto noluit partes distinguere quae ad Constitutiones pertinent, ab iis quae in Statutis locum invenire debebunt.~~

Iudicio Commissionis De Regimine, Conventus Generalis 1974, articuli, paragraphi vel numeri asterisco (*) signati, tamquam STATUTA habendi sunt.

131. - Omnes qui in Congregatione exercent auctoritatem, quae a Deo est, prae oculis habeant exemplum Christi Boni Pastoris, qui non venit ministrari sed ministrare. Ideoque se existiment servos communitatis, ad promovendum finem nostrum iuxta spiritum sancti Vincentii, in vera communionem vitae et apostolatus. Cum sodalibus, autem, dialogum instituant eorumque conspirationem ad bonum Ecclesiae et Congregationis promoveant, firma tamen ipsorum auctoritate decernendi et praeciendi quae agenda sint.

132. – **Omnes Sodales in suis muneribus obeundis habeant potestatem sufficientem ad ea adimplenda. Ideoque ne** ~~Ne~~ avocentur ad maiorem regiminis gradum ea quibus aut singuli sodales aut inferiores regiminis gradus providere possint.

Servetur tamen illa regiminis unitas, quae necessaria est ad finem et bonum totius Congregationis prosequenda.

133. - Congregatio Missionis, cum suis domibus et ecclesiis, omnesque sodales **exemptione** ~~privilegio exemptionis~~ ab Ordinariorum locorum iurisdictione ex speciali Apostolicae Sedis concessione gaudent, praeterquam in casibus a iure expressis.

134. - Conventus Generalis, Superior Generalis, Visitatores Provinciales, Vicevisitatores, Superiores domorum, in subditos, praeter potestatem dominativam seu domesticam, ~~et illam quae a voto oboedientiae profuit,~~ iurisdictionem quoque ecclesiasticam habent, tam pro foro interno quam pro foro externo, utramque exercendam ad normam iuris communis et particularis nostri.

2. - DE OFFICIIS IN ADMINISTRATIONE CENTRALI

135. - Superior Generalis, successor sancti Vincentii, una cum tota Congregatione, missionem Fundatoris diversis adiunctis aptatam in servitio universalis Ecclesiae continuet. Proinde, tali sollicitudine Congregationem gubernet, ut charisma sancti Vincentii vivum sit semper in Ecclesia.

136. - Superior Generalis ut centrum unitatis et Provinciarum coordinationis sit etiam principium spiritualis animationis et actionis apostolicae.

137. - Superior Generalis potestate ordinaria totam Congregationem regit, idest, omnes Provincias et Viceprovincias, domos et singulos sodales, ad normam iuris communis et particularis nostri. Superior Generalis tamen subest auctoritati Conventus Generalis ad normam iuris.

138. - Superior Generalis valet usualem tantum interpretationem Constitutionum, Statutorum et Decretorum Conventus Generalis dare.

139*. § 1. Superior Generalis a Conventu Generali ad duas tertias partes suffragiorum ad normam iuris nostri eligitur ad sexennium, computandum ad normam § 2, et reeligi potest ad alterum sexennium.

Iudicio Commissionis De Regimine, verba «Superior Generalis a Conventu Generali eligitur», ad Constitutiones pertinent.

§ 2. Sexennium vero computatur usque ad acceptationem electionis, ab eius successore factam in sequenti Conventu Generali ordinario.

140*. - § 1. Ad validitatem electionis Superioris Generalis requiruntur condiciones, quas ex iure communi eligendus habere debet.

§ 2. Ex iure particulari nostro, firmo praescripto art. 189 Constitutionum, ad validitatem electionis requiritur etiam quod candidatus caractere episcopali non sit insignitus, nec officium gerat Vicarii, Praefecti aut Administratoris Apostolici.

141. - § 1. Superior Generalis ab officio cessat:

1° Per acceptationem electionis a successore factam;

2° Per ipsius renuntiationem a Conventu Generali vel a Sancta Sede acceptatam;

3° Per depositionem a Sancta Sede decretam.

§ 2. Si evenierit ut Superior Generalis manifeste indignus vel ineptus factus fuerit ad munus suum adimplendum, tunc Assistentium erit de re collegialiter iudicare, et certior fiat Sancta Sedes, cuius mandatis standum erit.

-108-

[24]

142. - Praeter facultates ipsi a iure communi vel ex speciali concessione factas, Superioris Generalis est::

1° Omni cura studere ut spiritus sancti Fundatoris firmus atque fervens ubique foveatur, apostolica Congregationis actuositas eiusque renovatio indesinenter promoveatur atque Constitutiones et Statuta quam aptius applicentur;

2° **De consensu sui Consilii**, Ordinationes generales condere in bonum Congregationis, quae vigeant usque ad sequentem Conventum Generalem, nisi ab ipso Superiore Generali vel ab eius successore aliter provisum fuerit;

3° De consensu sui Consilii, **et consultatione facta cum sodalibus** ~~et auditis illis~~ quorum interest, constituere Provincias vel Viceprovincias, easdemque coniungere, dividere, suppressere, servatis de iure servandis;

4°* Salvo iure visitationem canonicam peragendi, si casus ferat, adire semel saltem durante munere, per se vel per alium, Provincias vel Viceprovincias, ut de ipsarum statu et sodalium certior fiat;

5°* De consensu sui Consilii, et auditis illis quorum interest, Missiones Congregationi a Sancta Sede oblatas acceptare, concreditas vero resignare;

6° Convocare Conventum Generalem ipsique praesidere, et convocatos, de consensu ipsius Conventus, dimittere;

7°* De consensu sui Consilii et auditis Visitoribus et Vicevisitoribus, ante celebrationem Conventus Generalis, tempore opportuno, Commissionem praeparatoriam nominare;

8°* Quamprimum ea omnia- quae a Conventu Generali decreta sunt promulgare;

9°* Contractus maioris momenti, servatis de iure servandis, de consensu sui Consilii, inire;

10^o* Gravi de causa, de consensu sui Consilii et auditis Provinciae Visitatore, Consultoribus et, si tempus suppetat, quamplurimis sodalibus, regimen alicuius Provinciae ad breve tempus assumere per administratorem, cum facultatibus a Superiore Generali delegatis, exercendum;

~~11^o Curare ut inter Provincias debita habeatur proportio quoad numerum domorum et sodalium, et, si res ferat, dividere illas Provincias, quae nimis extensae sint; quae vero nimis parvae, unire;~~

1142^o* De consensu sui Consilii et auditis Consultoribus Provinciae, Superiorem Provinciale, gravi de causa, ab officio remove;

1243^o* De consensu sui Consilii, domos erigere vel suppressere, servatis de iure servandis et auditis illis quorum interest;

1344^o* Gravi de causa, de consensu sui Consilii et auditis Visitoribus quorum interest, domum unius Provinciae in territorio alterius erigere;

-109 -

[25]

1445^o* Domos erigere, iusta de causa et de consensu sui Consilii, quae a nulla Provincia dependant, et quae regantur a Superiore locali sub directa dependentia Superioris Generalis; Superiores earundem domorum nominare;

1546^o* Transferre sodales ab una Provincia in aliam, de consensu sui Consilii et auditis Visitoribus sodalibusque quorum interest;

1647^o* De consensu sui Consilii, sodales admittere ad vota **et vinculationem definitivam** et ad ~~sacras Ordinationes, Ordines; dissolvere vinculationem definitivam et eosque~~ a votis dispensare, gravi de causa, sive in casu legitimi egressus, sive in actu dimissionis;

1748^o* Dimittere sodales, durante professione, de consensu sui Consilii, ad normam iuris communis et particularis nostri;

1849^o* Suffragia concedere sodalibus exclaustratis, in casu mortis, pro defunctis nostris consueta;

1920^o* Dignitates ecclesiasticas acceptare nequit nisi de praecepto Sanctae Sedis;

2024^o* Sine consensu Conventus Generalis et inconsulta Sancta Sede, ne mutet suum domicilium.

21^o* De consensu sui Consilii, in casibus extraordinariis ac gravi de causa, dispensare a Constitutionibus; et a Statutis Conventus Generalis in casibus particularibus ac iusta de causa.

22^o* De consensu sui Consilii et consultatione facta cum Visitoribus quorum interest, Directores Provinciales Filiarum Caritatis nominare.

De Vicario Generali

143. - Vicarius Generalis Superiorem Generalem adjuvat illumque absentem vel impeditum in munere supplet ad normam iuris particularis nostri.

144*.- Vicarius Generalis a Conventu Generali **iisdem conditionibus ac Superior Generalis, et modo praescripto in Article 196 § 4**, ~~eligitur ad duas tertias partes suffragiorum, eodem modo iisdemque conditionibus ac Superior Generalis,~~ et semel reeligi potest. Electus vero in Vicarium Generalem ipso facto fit Assistens.

Iudicio Commissionis De Regimine, verba: “Vicarius Generalis a Conventu Generali eligitur”, pertinent ad Constitutiones.

145*. - In casu absentiae Superioris Generalis, Vicarius Generalis eiusdem auctoritate insignitur, nisi ipse Superior Generalis aliquod in iis quae ipse sibi reservaverit.

146*. - In casu impedimenti Superioris Generalis, Vicarius Generalis illum supplet pleno iure usque ad impedimenti cessationem. De impedimento autem Consilium Generale, sine Superiore Generali sed praesente Vicario Generali, iudicat.

147*. - Vacante quacumque de causa munere Superioris Generalis, ipso facto Vicarius Generalis fit Superior Generalis usque ad impletionem sexennii, et de consensu sui Consilii auditisque saltem Superioribus Provincialibus et Viceprovincialibus, ex Assistantibus Vicarium Generalem nominet quam primum.

148*. - Deficiente Vicario Generali quacumque de causa, de consensu sui Consilii auditisque saltem Superioribus Provincialibus, Superior Generalis ex Assistantibus quam primum Vicarium Generalem nominet.

-110-

[26]

149. - § 1. Vicarius Generalis ab officio cessat :

1° Per acceptationem electionis a novo Vicario Generali factam. ~~Tamen, in sequentibus sessionibus Conventus ius suffragandi habebit.~~

2° Per renuntiationem a Conventu Generali vel a S. Sede acceptatam.

3° Per depositionem a S. Sede decretam.

§ 2. Si evenierit ut Vicarius Generalis manifeste indignus vel ineptus fuerit ad munus suum adimplendum, tunc Superioris Generalis cum suo Consilio, excluso ipso Vicario Generali, erit de re iudicare ut certior fiat Sancta Sedes, cuius mandatis standum erit. ~~Si S. Sedi placuerit, potest remanere ut Assistens Generalis.~~

150. - Vicarius Generalis qui ut Superior Generalis regimen Congregationis assumpsit, expleto sexennio immediate in Superiorem Generalem eligi potest et etiam reeligi.

De Assistantibus Generalibus

151. - § 1. Assistentes Generales, qui Consilium Superioris Generalis constituunt, opera et consilio in regimine Congregationis eum adiuvant, ut unitas et robur Congregationis promoveantur, Constitutiones et decisiones Conventus Generalis ad effectum deducantur, omnesque Provinciae in operibus Congregatiollis promovendis collaborent.

§ 2. Unus ex Assistantibus Generalibus specialem curam habebit pro missionibus ad Gentes.

152*. - § 1. Assistentes Generales, quattuor numero, ad sex annos a Conventu Generali eliguntur; et semel reeligi possunt. ~~Expleto tamen secundo sexennio consecutivo, nequeunt immediate in Vicarium Generalem eligi.~~

Iudicio Commissionis *De Regimine*, verba: "*Assistentes Generales a Conventu Generali eliguntur*", pertinent ad Constitutiones.

§ 2. Sexennium vero computatur usque ad acceptationem electionis a successoribus factam in sequenti Conventu Generali ordinario

153*. - Assistentes Generales eligi possunt de numero, sive eorum qui Conventui intersunt, sive absentium, et debent esse ex diversis Provinciis.

154*. - § 1. Electionibus Superioris Generalis et Vicarii Generalis absolutis, Conventus Generalis ad electionem aliorum Assistantium procedit in distinctis scrutiniiis.

§ 2. Ii electi habebuntur qui, demptis suffragiis nullis, plura absolute suffragia retulerint; hi ut electi a Praeside Conventus proclamantur.

§ 3. Si in primo et secundo scrutinio nemo fuerit electus, tunc in tertio electus erit qui maiora relative obtinuerit suffragia, et in casu paritatis senior vocatione et aetate.

-111-

[27]

155*. - Assistentes in eadem domo qua Superior Generalis residere debent; semper et necessario duo saltem sint praesentes cum Superiore Generali vel Vicario Generali, ut Consilium Generale componant. *Cfr. notam ad calcem paginae ponendam, inter "Interpretationes."*

De Officialibus Curiae Generalitiae

Nota ponenda ad calcem art. 155 Constitutionum:

Placuit Conventui ut experimentum contra art. 155 Constitutionum a Superiore Generali factum, iuxta Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae* (Sect. II, parte I, n. 7) de supplendo, cum consensu Consilii, alterutro ex Assistentibus Generalibus absente per unum e tribus Officialibus constitutionalibus Curiae ad complendum "quorum" in Consilio, usque ad Conventum Generalem anni 1980 protrahatur.

156. - Cessat Assistentium Generalium officium:

1° per acceptationem electionis ab eorum successoribus factam. ~~Tamen, in sequentibus sessionibus Conventus ius suffragandi habebunt.~~

2° per renuntiationem a Superiore Generali, vel a Conventu Generali acceptatam.

3° per depositionem a Superiore Generali cum consensu aliorum Assistentium decretam, accedente beneplacito S. Sedis.

157.* - § 1. Si quis ex Assistentibus a munere cesserit, substitutus nominatur a Superiore Generali cum voto deliberativo aliorum Assistentium; substitutus vero eadem iura et obligationes ac alii Assistentes habet.

§ 2. Sed, si intra sex menses Conventus Generalis haberi debeat, Superior Generalis non tenebitur nominare substitutum.

De Officialibus Curiae Generalis

158. - Secretarius Generalis, Oeconomus Generalis et Procurator Generalis apud Sanctam Sedem, extra numerum Assistentium Generalium nominantur a Superiore Generali de consensu sui Consilii, et ad nutum eius in munere manent.

159. - Officiales Generales, qui communi bono Congregationis solliciti esse debent et in rebus ad suum munus pertinentibus versati, eodem munere funguntur sub directione Superioris Generalis, ad normam iuris communis et particularis.

160*. - Officiales Generales Conventui Generali intersunt cum iure suffragii; Consilio autem Generali sine suffragio, ex officio Secretarius, Oeconomus vero et Procurator quando vocati fuerint a Superiore Generali.

161*. - Procurator Generalis apud Sanctam Sedem, de mandato scriptis dato Superioris Generalis, officio Postulatoris Generalis Congregationis fungi poterit in Curia Romana, ad normam iuris.

3. – DE OFFICIIS IN ADMINISTRATIONE PROVINCIALI

DE PROVINCIIIS ET VICEPROVINCIIIS

162. - § 1. Provincia est plurium domorum inter se coniunctio, territorialibus limitibus circumscripta, partem totius

-112-

[28]

Congregationis constituens, cui praeest Superior Provincialis potestate ordinaria propria, ad normam iuris communis et particularis nostri.

§ 2*. Etsi unaquaeque Provincia territorialibus limitibus circumscripta sit, non excluditur quod altera Provincia adsit in eodem territorio.

163*.- § 1. Viceprovincia est plurium domorum inter se coniunctio, territorialibus limitibus circumscripta, quae, iuxta conventionem initam cum aliqua Provincia, ab ea dependet et cum ea aliquid totum efformat, cui praeest Superior Viceprovincialis potestate ordinaria propria, ad normam iuris communis et iuris particularis nostri.

§ 2. Potest etiam constitui Viceprovincia quae a nulla Provincia plene constituta pendet, sed directe a potestate Superioris Generalis, cui praeest Superior Viceprovincialis potestate ordinaria propria.

§ 3. Viceprovincia, natura sua, est transitoria, et Provincia devenit, si conditiones requisitae habeantur.

§ 4. Quod in Constitutionibus et Statutis Congregationis edicitur pro Provincia, valet, positis ponendis, etiam pro Viceprovincia, nisi aliter expresse caveatur in ipsis Constitutionibus et Statutis, vel in particularibus statutis et conventionibus cuiusque Viceprovinciae.

164*. - § 1. Divisa Provincia ita, ut distincta Provincia erigatur, etiam bona omnia quae in commodum Provinciae erant destinata et aes alienum quod pro Provincia contractum fuerat, a Superiore Generali cum suo Consilio debita proportione ex bono et aequo dividi debent, salvo priorum fundatorum seu offerentium voluntatibus, iuribus legitime quaesitis, ac normis particularibus quibus Provincia regitur.

§ 2. Divisio archivi Provinciae matris reservatur decisioni Superioris Generalis, auditis prius Superioribus Provincialibus quorum intersit.

~~4. – DE OFFICIIS IN ADMINISTRATIONE PROVINCIALI~~

De Superiore Provinciali et Viceprovinciali

165. - § 1. Superior Provincialis, qui etiam apud nos Visitatoris nomen habet, est Superior maior, ordinarius, cum potestate ordinaria propria, qui alicui Provinciae praeficitur ad eam regendam, ad normam iuris communis et particularis nostri.

-113-

[29]

§ 2. Superior Provincialis, de actuosa omnium participatione in vita et apostolatu Provinciae sollicitus, sodales et copias impendit ad servitium Ecclesiae iuxta finem Congregationis. Ministerium domorum fovet, erga profectum personalem et activitatem singulorum sollicitum se praebeat, unionem vitalem procurans.

166*. - § 1. Superior Provincialis nominatur ad sexennium a Superiore Generali de consensu sui Consilii, facta consultatione saltem sodalium Provinciae vocem activam habentium. Eodem modo iisdemque conditionibus Superior Provincialis semel confirmari potest ad triennium.

§ 2. Conventus Provincialis proponere potest approbationi Superioris Generalis, de consensu sui Consilii, modum proprium designationis vel electionis Superioris Provincialis et eiusdem durationis in officio.

167. - Superioris Provincialis ~~ius et officium~~ est:

- 1° Constitutionum, Statutorum et Regularum **et Normarum** observantiam promovere;
- 2° De consensu sui Consilii, ordinationes condere in bonum Provinciae, quae vigeant usque ad sequentem Conventum Provinciale, nisi ab ipso Superiore Provinciali vel ab eius successore aliter provisum fuerit;
- 3° De consensu sui Consilii, domos intra finem suae Provinciae erigere et supprimere, servatis de iure servandis **et consultatione facta cum Superiore Generali**;
- 4°* Domos de sodalibus necessariis providere, illosque de domo in domum transferre, post consultationem ipsius sodalis, quantum possibile est, et auditis Consultoribus, excepto casu urgentiore, in quo tamen Consultores monere debet;
- 5°* Nominare, de consensu sui Consilii, et **consultatione facta cum** ~~auditis~~ sodalibus, Superiores domorum, ~~a Superiore Generali confirmandos~~ **et Superiorem Generalem certiore facere**;
- 6°* Nominare, de consensu sui Consilii, Oeconomum Provinciale et Directorem Seminarii interni et Scholasticorum;
- 7°* Approbare ordinem diei domus a Superiore locali cum communitate propositum;
- 8°* Domos et sodales frequenter invisere, et quidem ex officio, saltem alternis annis;
- 9°* **Relationes** ~~Accurate implere ea quae ei mandaverit Superior Generalis, eique, tempore et modo statuto, relationem mittere ad Superiorem Generalem de rebus Provinciae et de rebus domorum et Provinciae, necnon de visitationibus domorum ex officio canonice peractis;~~
- 10°* De consensu sui Consilii, contractus necessarios et utiles inire ad normam iuris communis et particularis nostri;
- 11°* **Audito suo Consilio, tempore opportuno, Commissionem Praeparatoriam Conventus Provincialis nominare;** ~~Suffragium habere in Conventu Generali;~~
- 12°* Praesidere in Conventu Provinciali, ~~quam~~ **quem** ipse convocare debet iuxta nostrum ius particulare, **convocatos de consensu ipsius Conventus dimittere**;

-114-

[30]

13°* Gaudere praerogativa dirimendi paritatem suffragiorum ~~non secretorum~~ **ad normam iuris**;

14°* Candidatos admittere ad Seminarium Internum, audito suo Consilio;

15°* **Audito suo Consilio, admittere ad incorporationem et vinculationem provisoriam; de consensu sui Consilii, ad vota et vinculationem definitivam, consultatione facta cum Superioribus et Moderatoribus candidatorum;** ~~Sodales admittere ad primam et perpetuam emissionem votorum, eum consensu sui Consilii; ad renovationem autem temporaneam, audito Consilio (praevia consultatione facta cum Superioribus et Moderatoribus Seminarii Interni vel Scholasticatus) (1);~~

(1) [~~Quae numeris obelo (*) signatis (15, 18, 19) ad vota temporaria referuntur, ut normae transitoriae sunt habendae, cum novae Constitutiones, art. 52, statuunt vota Congregationis esse « unice perpetua ». Notula Directoris].~~

16°* Consultatione cum Superioribus et Moderatoribus candidatorum praehabita, sodales admittere et Ministeria et inter Candidatos ad Diaconatum et Presbyteratum, et, cum consensu sui Consilii, ad Ordines; ~~Sodales admittere ad Ordines, consultatione facta cum Superioribus et Moderatoribus Scholasticatus, et cum consensu sui Consilii, si agitur de Ordinibus maioribus;~~

17°* Sodales praesentare ad Ordines ac litteras dimissorias dare pro eorum ordinatione;

18°* Dissolvere vinculationem provisoriam in casu egressus legitimi et, cum consensu sui Consilii, in casu dimissionis; Dispensare, de consensu sui Consilii, subditos a votis temporaneis (*indiget approbatione Sanctae Sedis*) (2);

(2) ~~Post consultationem apud Sanctam Sedem factam, Superiori Generali responsum est huiusmodi approbationem non convenire. Superior Gen.~~

19°* Superiorem Generalem quamprimum certiore facere de admissione sodalium ad vota et vinculationem definitivam et ad Ordines maiores, necnon de dispensatione a votis temporaneis;

20°* Per se vel per alios idoneos curam habere de archivo provinciali;

21°* Approbare nostros, et ipsis conferre iurisdictionem ad nostrorum confessiones, necnon, salvo iure Ordinarii, ad sacram verbi Dei praedicationem; easdemque facultates aliis delegare;

22°* De consensu sui Consilii, dispensare a Normis Provincialibus, iusta de causa in casibus particularibus.

168*. - Superior Viceprovincialis iisdem iuribus, facultatibus et obligationibus fruitur ac Superiores Provinciales, salvis iis quae a Constitutionibus et Statutis determinentur.

169*. - § 1. Vacante officio Adveniente morte Superioris Provincialis aut eius cessatione ab officio, ad tempus regimen Provinciae cedit Assistenti Superioris Provincialis; si Assistens desit, antiquiori Consultori Provinciali, ratione nominationis, institutionis, vocationis aut aetatis, nisi a Superiore Generali aliter provisum fuerit.

§ 2. Conventus Provincialis proponere potest approbationi Superioris Generalis, de consensu sui Consilii, modum proprium providendi ad tempus Provinciae regimini, adveniente morte Superioris Provincialis aut eius cessatione ab officio.

De Assistente Superioris Provincialis

170*. § 1. Superior Provincialis, ut officii muneris nimis gravibus partim se exoneret et in regimine adjuvari possit, habere potest suum Assistentem.

§ 2. Assistens Superioris Provincialis est unus ex Consultoribus Provincialibus et eligitur ab ipsis Consultoribus cum Superiore Provinciali, nisi a Conventu Provinciali aliter provisum fuerit.

§ 3. In casu absentiae Superioris Provincialis, Assistens eiusdem auctoritatem habet, nisi in iis quae ipse sibi reservaverit.

§ 4. In casu impedimenti Superioris Provincialis, Assistens illum supplet pleno iure usque ad impedimenti cessationem. De impedimento autem Consilium Provinciale, sine Superiore Provinciali, sed praesente Assistente, iudicat.

171*. - Conventus Provincialis potest determinare utrum habeatur Assistens Superioris Provincialis.

De Consilio Provinciali

172. - Consultores, qui consilium Superioris Provincialis constituunt, opera et consilio in regimine Provinciae eum adiuvant, ut eius unitas et robur promoveantur, Constitutiones et decisiones Conventus Generalis et Conventus Provincialis ad effectum deducantur, omnesque domus et sodales in operibus promovendis collaborent.

173*. - § 1. Consultores nominantur ad triennium a Superiore Provinciali, facta consultatione saltem sodalium Provinciae vocem activam habentium, cum confirmatione Superioris Generalis. Eodem modo iisdemque condicionibus Consultores confirmari possunt ad alterum et tertium triennium, non autem ad quartum triennium.

§ 2. *Consultor Provincialis ab officio removeri potest a Superiore Generali, gravi de causa, proponente Superiore Provinciali cum consensu aliorum Consultorum.*

§ 3. Conventus Provincialis proponere potest approbationi Superioris Generalis, de consensu sui Consilii, modum proprium designationis vel electionis Consultorum, necnon eorundem numerum, tempus nominationis et durationis in officio.

De Oecono Provinciali

174*. - In unaquaque Provincia sit pro administratione bonorum temporalium Oeconomus, qui ad nutum nominatur a Superiore Provinciali, de consensu sui Consilii.

Iudicio Commissionis De Regimine, verba: "In unaquaque Provincia sit pro administratione bonorum temporalium Oeconomus", pertinent ad Constitutiones.

-116-

[32]

175. - Oeconomus Provincialis administrat bona Provinciae sub directione ac vigilantia Superioris Provincialis ~~et Consilii~~, **cum suo Consilio**, ad normam iuris communis et particularis nostri.

176*. - Si non est etiam Consultor, interest Consilio Provinciali cum vocatus fuerit a Superiore Provinciali, tamen sine suffragio.

177*. - Oeconomi Provincialis est:

1° Curare ut omnia bona temporaria recte in foro ecclesiastico et civili possideantur;

2° Consilio et ope adjuvare oeconomos domorum ad munera implenda eorumque administrationi invigilare;

3° Curare ut unaquaque domus solvat summam assignatam pro expensis Provinciae, et praesertim ad succurrendum nostrorum formationi et; suo tempore, mittere ad Oeconomatum Generalem taxam pro fundo generali;

4° Curare ut iusta merces nostris operariis solvatur et accurate observentur leges civiles circa assuranceiones sociales;

5° Semper in ordine servare varia regesta expensarum et reddituum, necnon alia documenta;

6° Rationem reddere Superiori Provinciali eiusque Consilio de sua administratione.

De Superiore Regionali

177* bis. Superior Provincialis instituere potest, cum consensu sui Consilii et consultatione facta cum illis quorum interest, et approbante Superiore Generali, Superiorem Regionalem, etiam cum potestate vicariali.

45. - DE COMMUNITATE LOCALI EIUSQUE OFFICIIS ~~IN ADMINISTRATIONE LOCALI~~

178. – § 1. Congregatio seipsam efficit praesertim in singulis communitatibus localibus in quibus Sodales in unione fraterna vivunt, finem Congregationis prosequuntur, et communitatem operum, orationis et bonorum efformant. Itaque quod ~~Quod~~ de fine ministeriisque Congregationis in Constitutionibus et Statutis decernitur, ad executionem ducitur praesertim a Superiore cum communitate locali.

§ 2. Superior est centrum unitatis et animator vitae communitatis localis. Ministeria domus foveat et de singulorum profectu et activitate cum communitate sollicitum se praebeat.

179*. – Consultatione facta cum sodalibus domus, Superior localis nominatur ad triennium et, auditis sodalibus domus, potest iterum nominari in eadem domo ad secundum triennium, et etiam ad tertium pro necessitate.

180*. - Superior potestatem habet ordinariam in foro interno pro suis subditis aliisque diu noctuque in domo sua degentibus; quam potestatem aliis delegare potest ad normam iuris.

181*. - Superioris ius et officium est :

1° ~~Curare ut omnes et singuli domus sodales in communitate fraterna vivant et in sua vocatione proficiant;~~

2° Superiorem Provinciale certiore facere de statu domus sibi concredita;

23° Munera et officia, quorum attributio Superioribus maioribus non est reservata, committere confratribus domus;

34° Conventum domesticum convocare atque dirigere quoties a Superiore Provinciali statuatur;

-117-

[33]

45° Una cum sua communitate, ordinem diei suae domus proponere approbationi Superioris Provincialis;

56° Habere archivum et sigillum propriae domus;

67° Confratribus notificare decreta et notitias Congregationis;

78° Curare ut onera Missarum adimpleantur.

182*. - Superior localis removeri poterit quotiescumque Superiori Provinciali, de consensu sui Consilii et accedente approbatione Superioris Generalis, id visum fuerit in Domino ex iusta et proportionata causa.

183*. - In administranda domo Superior localis adiuvatur ab omnibus sodalibus secundum uniuscuiusque officium, praesertim ab Assistente, Consultoribus et Oecono.

183* bis. – Adunationes sodalium ad instar Consilii Communitarii frequenter habeantur ad promotionem vitae et apostolatus communitatis.

56. - DE CONVENTIBUS

De Conventibus in genere. Normae generales

184. - § 1. Conventus Congregationis Missionis, cuius munus est eiusdem Congregationis spiritualitatem atque apostolicam vitalitatem tueri ac promovere, triplex distinguitur: Generalis, Provincialis et Domesticus.

§ 2*. Omnes Superiores et sodales Conventus praeparent, actuose peragant, fideliter denique observent leges et normas ab ipsis traditas.

185*.- § 1. In electionibus requiruntur tres scrutatores.

§ 2. Ex iure sunt scrutatores, simul cum praeside et cum secretario post eius electionem, duo aetate iuniores ex membris Conventus.

§ 3. Initio Conventus proceditur ad electionem secretarii, cuius est:

a) primi scrutatoris munus adimplere;

b) relationes sessionum earumque documenta conficere.

186*. - Ante Conventum et eo perdurante, fovenda est libera communicatio notitiarum circa res determinandas et qualitates eligendorum.

187*. - § 1. Nemo duplici suffragio gaudere potest.

§ 2. Condiciones ante electionem suffragio appositae tamquam non adiectae censentur.

-118-

[34]

§ 3. Electio obligationem gignit electo ad Conventum eundi, aut officium acceptandi, nisi gravis causa a Conventu approbata excuset.

§ 4. Nemo in Conventibus sibi alium substituere potest proprio arbitrio, nisi ad normam iuris.

§ 5. Maioritas suffragiorum computanda est solum ex suffragiis valide latis. Suffragia alba sunt nulla.

188*. - § 1. Iure vocis activae gaudent, nisi amiserint ad normam iuris, omnes sodales, postquam vinculo definitivo in Congregationem cooptati sunt.

§ 2. Iure vocis passivae, firmis aliis conditionibus statutis a iure communi et particulari nostro pro diversitate officiorum vel munerum, fruuntur omnes sodales, post tres annos definitivae cooptationis in Congregationem, qui vigesimum quintum annum expleverint.

189*. - Carent iure vocis activae et passivae :

§ 1. Qui ex indulto vivunt extra Congregationem, iuxta ius particulare nostrum et clausulam in ipso indulto appositam.

§ 2. Nostri ad dignitatem episcopalem evecti vel tantum renuntiati, ~~sive durante sive expleto munere,~~ **et etiam expleto munere, nisi ad vitam communitariam redeant.**

§ 3. Vicarii, Praefecti et Administratores Apostolici, quamvis non Episcopi, durante munere, nisi simul sint Superiores alicuius domus peculiaris Congregationis.

190*. - Expleta de negotiis tractatione, Acta Conventus a congregatis approbata subscribenda sunt a Praeside Conventus, ab eiusdem Secretario et ab omnibus congregatis, ac, sigillo munita, in tabulario diligenter conservanda.

De Conventu Generali

191. - Conventus Generalis, universam Congregationem immediate repraesentans, ut suprema eiusdem auctoritas gaudet iure:

1° Eligendi Superiorem Generalem, Vicarium Generalem et Assistentes Generales;

2° Condendi leges seu statuta, principio subsidiariorum debite servato, ad bonum Congregationis;

3° Confirmandi statuta ab alio Conventu Generali decreta; quae explicite non confirmantur, censentur abrogata et suum vigorem amittunt;

4° Interpretandi authentice Constitutiones et Statuta.

192. - § 1. Conventus Generalis plures ob causas celebrandus venit:

-119-

[35]

a) Ordinarius, ad eligendum Superiorem Generalem, Vicarium Generalem et Assistentes Generales, et ad negotia Congregationis tractanda, sexto anno post ultimum Conventum Generalem ordinarium.

b) Extraordinarius, extra dicta tempora, quotiescumque Superior Generalis, de consensu sui Consilii et auditis Superioribus Provincialibus, censuerit eum esse celebrandum.

Iudicio Commissionis *de Regimine*, verba : “*sexto anno...ordinarium*”, et “*Quotiescumque... celebrandum*”, pertinent ad Statuta.

§ 2. Celebrationem Conventus Generalis praecedere debet Conventus Provincialis vel Viceprovincialis.

193*. - § 1. De tempore et loco Conventus Generalis convocandi, Superior Generalis, vel Vicarius Generalis, de consensu sui Consilii, decernat.

§ 2. Sexto tamen recurrente anno, iusta de causa, poterit a die incepti praecedentis Conventus Ordinarii, celebratio novi Conventus anticipari vel retardari ad sex usque menses, decreto Superioris Generalis, de consensu sui Consilii.

194. - § 1. Conventui Generali interesse debent:

a) Superior Generalis, Vicarius et Assistentes Generales, Secretarius Generalis, Oeconomus Generalis et Procurator Generalis apud Sanctam Sedem. **Superior Generalis, Vicarius et Assistentes Generales, exeuntes ab officio, remanent membra Conventus in subsequentibus eiusdem Conventus sessionibus.**

Secunda pars § 1 a) et b), iudicio Commissionis De regimine, pertinent ad Statuta.

b) Superiores Provinciales et Viceprovinciales et unus deputatus pro Provinciis et Viceprovinciis, quarum numerus sodalium vocem activam habentium non superat centum; inde alius deputatus pro unaquaque septuagena quina vel eius parte. **Numerus Deputatorum ad Conventum Generalem computandus est iuxta numerum sodalium vocem activam habentium in die eorum electionis in Conventu Provinciali.**

§ 2. Vacante officio Superioris Provincialis vel Viceprovincialis, qui ad interim regimen Provinciae tenet ad Conventum Generalem perget.

Si Superior Provincialis vel Viceprovincialis legitime impediatur quominus se conferat ad Conventum Generalem, eius loco ad Conventum perget **qui eum supplet in officio. Si autem hic electus fuerit in deputatum primus ex electis in deputatos** a Conventu Provinciali vel Viceprovinciali, primus ~~autem~~ substitutus **perget ad Conventum Generalem. succedet in deputatum.**

195*. - § 1. **Ante Conventus Generalis convocationem, tempore opportuno, Superior Generalis vel Vicarius Generalis, cum suo Consilio, auditis Visitoribus et habita ratione diversitatis regionum et operum, nominat Commissionem Praeparatoriam.** ~~a) Convocato Conventu Generali ad normam iuris, ante eius celebrationem, tempore opportuno, Superior Generalis vel Vicarius Generalis cum suo Consilio nominat Commissionem Praeparatoriam Conventus Generalis cum munere fontes providendi, in ordinem vota sodalium propositaque Provinciarum adducendi, et ea, postulatis additis quae Superior Generalis audito Consilio iudicaverit esse proponenda, ad Superiores Provinciales mittendi, ut omnes, speciatim delegati ad Conventum Generalem, examinent.~~

§ 2. Relicta Superiori Generali cum suo Consilio ampla libertate ordinandi, iuxta opportunitatem, Commissionis Praeparationae labores, eiusdem Commissionis munera esse possenti:

a) Quaerere a Provinciis et a singulis Sodalibus quaenam sint problemata eorum iudicio urgentiora et quam methodo in Conventu Generali tractanda sint;

b) Acceptis reponsionibus, argumenta, iuxta temporis necessitates, urgentiora ac universaliora seligere, studia parare et fontes quaerere, eaque omnia, congruo tempore, ante Conventuum Domesticorum celebrationem Visitoribus mittere;

c) Proposita seu postulata Conventuum Provincialium ac studia a Provinciis facta et postulata a Superiore Generali, audito Consilio, proposita, recipere;

d) Omnia in ordinem, iuxta possibilitatem, adducere, et ex eis documentum laboris conficere, et haec omnia ita tempestive mittere, et omnes deputati et substituti omnia prae manibus habere possint saltem uno integro mense ante ipsius Conventus Generalis initium.

~~b) Pro omni Conventu Generali ordinario Commissio Praeparatoria debet argumenta, quae ex necessitatibus vel tem-~~

-120-

[36]

~~poris vel situationis sunt valde urgentia, ad discutiendum et decernendum, praeparare et proponere, ut possint in Provinciis ab omnibus sodalibus deliberari et efformari in postulata pro Conventu Generali.~~

~~§ 2. a) Haec Commissio curet ut omnes deputati proposita cognoscant non infra unum mensem ante initium celebrationis Conventus Generalis.~~

~~b) Superiores Provinciales immediate Provinciarum deputatis ac substitutis, et quam primum omnibus sodalibus, omnia documenta ante Conventum Generalem examinanda transmittent.~~

§ 3. Incepta celebratione Conventus, munus huius Commissionis cessat.

196*. - § 1. Die electionis Superioris Generalis, electores congregati Sacrum Deo offerent pro felici electione et, post brevem exhortationem, hora statuta sessio sub Praeside incipiet.

§ 2. In schedulis praeparatis, electores inscribent nomen illius quem elegerint in Superiorem Generalem.

§ 3. Omnibus schedulis numeratis, si earum numerus excedat eligentium numerum, nihil actum est et novae schedulae sunt scribendae.

§ 4. Si in primo scrutinio nemo duas tertias partes suffragiorum obtinuerit, experiendum erit secundum scrutinium eodem modo quo factum est primum, si neque in secundo, pari modo tertium tentabitur scrutinium immo et quartum. Post quartum ineffacax scrutinium fiat quintum, in quo requiritur et sufficit maioritas ad plura absolute suffragia, demptis nullis.

Post quintum inefficax scrutinium, fiat sextum, in quo voce passiva gaudeant solummodo duo candidati qui in quinto scrutinio maiorem etsi parem numerum suffragiorum tulerint, nisi plures, in primo aut in secundo loco, paritatem obtinuerint; quo in casu etiam isti gaudeant voce passiva in sexto scrutinio, in quo requiritur et sufficit maioritas relativa suffragiorum, demptis nullis, et in casu paritatis, candidatus senior vocatione aut aetate electus habeatur.

§ 5. Electione legitime peracta et ab electo acceptata, qui praesidet, decreto electionis exarato, clara voce proclamabit electum; sed si ipse Praeses in Superiorem Generalem electus fuerit, Secretarius Conventus Decretum conficiet et Moderator electum proclamabit. Qui vero electus fuerit, commissum sibi onus non renuet nisi gravi de causa. Absoluta electione et gratiis Deo relatis, destruentur schedulae.

-121-

[37]

Si neoelectus non sit praesens advocetur et, usque ad eius adventum, Conventus negotia alia Congregationis tractare potest.

197*. - Directorium ab aliquo Conventu approbatum in vigore manet usquedum ab alio Conventu mutetur vel abrogetur.

De Conventu Provinciali et Viceprovinciali

198. - Conventus Provincialis, utpote coadunationis sodalium, qui tamquam deputati Provinciam repraesentant, est:

1° Tractare, ut organum consultivum Superioris Provincialis vel Viceprovincialis, de rebus quae ad bonum Provinciae vel Viceprovinciae ducere possunt;

2° Curam specialem habere de promotione nostri apostolatus deque eiusdem vera insertione in ratione pastorali a Conferentiis Episcopalibus definita;

3° Condere normas cum vi obligatoria ad bonum commune Provinciae vel Viceprovinciae intra limites iuris communis et particularis Congregationis; **Cfr. notam ad calcem paginae ponendam, inter “Interpretationes.”**

De Competentia Conventus Provincialis

Declaratio authentica ponenda ad calcem art. 198,3 Constitutionum:

Normae de quibus in art. 198, 3, intelleguntur ad instar legis seu statuti, quae non attingunt munus executivum vel administrativum Superioris Provincialis, sicuti hoc descriptum est in Constitutionibus et Statutis C.M.; Superior tamen Provincialis auctoritati subest Conventus Provincialis, ad normam iuris communis et particularis nostri.

4° Agere de propositis quae nomine Provinciae vel Viceprovinciae deferenda sunt turn Conventui Generali turn Superiori Generali;

5° Eligere deputatos ad Conventum Generalem.

199*. - § 1. Conventus Provincialis vel Viceprovincialis celebrandus est **bis in sexennio**, ~~tertio quoque anno~~, alter ante Conventum Generalem, alter tempore intermedio.

§ 2. Pro necessitate, Superior Provincialis vel Viceprovincialis, cum consensu sui Consilii et auditis Superioribus localibus, potest convocare Conventum Provinciale vel Viceprovinciale extraordinarium.

200. - Ad Superiorem Provinciale vel Viceprovinciale pertinent Conventum Provinciale vel Viceprovinciale convocare eique praesidere, dies statuere domumque designare in qua celebrari debeat, et normas promulgare.

Verba “dies statuere domumque designare in qua celebrari debeat, et normas promulgare,” sudicio Comissionis *De Redimine*, pertinent ad Statuta.

201. - Normae Conventus Provincialis communicandae sunt Superiori Generali eiusque approbatione indigent cum consensu sui Consilii. Superioris Generalis est hanc decisionem Superiori Provinciali communicare intra duos menses.

202*. - Conventui Provinciali interesse debent, nisi aliud norma provinciali caveatur:

§ 1. Uti deputati ex officio, Superior Provincialis, Consultores Provinciales, Oeconomus Provincialis, et singularum Provinciae domorum Superiores;

-122-

[38]

§ 2. Insuper, tot deputati electi ex unico collegio provinciali, constanti ex omnibus sodalibus voce passiva in Provincia fruentibus, quot sunt deputati qui ex officio interesse debeant, additis uno deputato pro vicenis quinque (25) sodalibus voce activa fruentibus, et alio pro reliqua eorum parte.

203*. - Qui ex unico collegio provinciali maiorem numerum suffragiorum obtinuerint sunt deputati electi, et in casu paritatis seniores vocatione et aetate; totidem secundum ordinem maioritatis suffragiorum sunt substituti.

204*. - Si Superior domus impeditur quominus pergat ad Conventum Provinciale, Assistens domus eius loco ibit. Si vero Assistens iam electus fuerit in deputatum, tunc ipse Assistens substituatur ex elencho substitutorum.

205*. - Conventus Provincialis proponere potest approbationi Superioris Generalis de consensu sui Consilii modum proprium repraesentationis in Conventu Provinciali, ita tamen ut numerus deputatorum electorum superet numerum eorum qui ex officio interesse debent.

206*. - Insuper, singularum Provinciarum est in Conventu conficere normas proprias procedendi, seu Directorium, tamen intra limites iuris communis et particularis nostri.

207*. - Conventus Provincialis ad electionem deputatorum et substitutorum ad Conventum Generalem procedit in distinctis scrutiniis, ad plura absolute suffragia. Si in primo et secundo scrutinio nemo fuerit electus, tunc in tertio electus erit qui maiora obtinuerit suffragia, et in casu paritatis senior vocatione et aetate.

DECRETA TEMPORARIA:

~~Ad primum Conventum Provinciale habendum post hunc Conventum Generalem extraordinarium:~~

~~1. - Deputati ad Conventum Provinciale erunt iidem ac supra, in art. 202, i.e., secundum normam generalem.~~

~~2. - Vel etiam, Superior Provincialis, de consensu sui Consilii et facta consultatione saltem omnium sodalium Provinciae vocem activam habentium, constituere potest proprium modum repraesentationis pro primo Conventu post hunc Conventum Generalem extraordinarium.~~

~~3. - Superior Provincialis potest, de consensu sui Consilii, normas conficere ad Conventum praeparandum, ad electiones deputatorum habendas, et ad Conventus domesticos celebrandos ante Conventum Provinciale, intra limites iuris communis et particularis nostri.~~

De Conventu Domestico

208. - § 1. Conventus Domesticus a Superiore domus, vel ab Assistente qui totum eiusdem officium exercet, convocatur et celebratur, in ordine ad Conventum Provinciale.

§ 2. Convocandi autem sunt omnes vocem activam habentes.

209. - Conventus Domestici est tractare de iis quae domus proponere voluerit Conventui Provinciali necnon de iis quae commissio praeparatoria Conventus provincialis ad discussionem proposuit, et proposita deliberare.

210*. - Conventus Provincialis est conficere normas proprias pro Conventibus Domesticis, intra limites iuris communis et particularis nostri, quae normae non indigent approbatione Superioris Generalis.

VII. - DE BONIS TEMPORALIBUS CONGREGATIONIS

1. - PRINCIPIA GENERALIA

211. - § 1. Congregatio Missionis amplectitur formam communitariam paupertatis evangelicae, ita ut omnia bona Congregationis sint communia et sodales iis sobrie fruuntur, ad melius persequendum et attingendum finem proprium Congregationis.

§ 2. Congregatio possidet et sodales administrant ista bona communia ut patrimonium pauperum, absque nimia sollicitudine pro seipsis, confidentes divinae Providentiae.

212. - § 1. Domus, Provinciae et Congregatio ipsa capaces acquirendi et possidendi bona temporalia. **Ubi casus ferat, eorum legitimi Superiores sunt repraesentantes legales etiam coram auctoritate civili, nisi aliter provideatur.**

§ 2. Fontes bonorum temporalium, praeter laborem sodalium, sunt omnia media licita acquirendi bona.

213. - Congregatio, Provinciae et Domus possident, et sodales ad hoc deputati administrant bona temporalia ad procurandam convenientem sustentationem sodalium et ad congrua suppeditanda media nostrae apostolicae actuositati et operibus caritatis.

214. - Cum omnia bona sint communia, sodales sunt corresponsabiles, ad normam iuris, in acquisitione, administratione et destinatione bonorum temporalium Domus et Provinciae, ad quas pertinent; servata proportione, principium valet etiam relate ad bona ipsius Congregationis.

215. - § 1. Propter bonum commune, Domus debent adiuvere Provinciam in iis quae necessaria sunt ad aptam administrationem et provisionem necessitatum generalium; similiter Provinciae quoad Curiam Generalitiam.

§ 2. Ideo, secundum aequitatem, Superior Generalis cum consensu sui Consilii, ius habet imponendi taxam Provinciis; sunt

itemque Superior Provincialis, cum consensu sui Consilii, Domibus suae Provinciae.

216. - § 1. Provinciae et Domus aliae cum aliis in bonis temporalibus communicent, ita ut illae, quae plus habent, adiuvent alias quae egestatem patiuntur.

§ 2. Congregatio, Provinciae et Domus ex bonis suis libenter **provideant** ~~aliquid conferant ad providendum~~ aliorum necessitatibus et egenorum sustentationi.

2. - DE ADMINISTRATIONE

217. - § 1. Bona, turn Congregationis, turn Provinciae, et Domus, administrari debent a respectivis Oeconomis sub directione et vigilantia Superiorum **cum suis Consiliis, et Consiliorum,** intra limites iuris communis et particularis nostri.

§ 2*. **Oeconomus Generalis, ratione sui officii et annuente Superiore Generali, visitare potest Oeconomos provinciales, immo, in particularibus adiunctis, Oeconomos Domorum vel administratores operum maioris momenti.**

218. - Relinquatur Provinciis determinatio administrationis bonorum temporalium secundum principium decentralizationis et subsidiariorum.

2 [sic = 3]. - DE NORMIS ADMINISTRATIVIS

219*. - § 1. Meminerint administratores se non esse dominos sed dispensatores bonorum Communitatis; et proinde diligenter attendant ne eadem bona in usus a statu nostro alienos impendant vel contra leges civiles agant.

§ 2. Libenter administratores provideant necessitatibus sodalium in omnibus quae respiciunt eorum vitam, officium peculiare et apostolicum laborem. Talis enim usus bonorum est incitamentum pro sodalibus ad bonum pauperum fovendum et ad vitam vere fraternam ducendam.

§ 3. **Sodales qui administrationem operum specialium habent tum Provinciae, tum Domus, exhibebunt regesta accepti et expensi Superioribus respectivis tempore et modo in Statutis Provincialibus determinatis.**

§ 4. Servent insuper aequitatem in ipsa bonorum distributione, cum debeant inter confratres vitam communitariam fovere.

220*. - § 1. Oeconomi rationem reddere debent Superioribus, et certiores facere sodales de sua administratione.

§ 2. Exhibita regesta accepti et expensi examinanda erunt a Superiore Generali cum suo Consilio, si agatur de Oecono Generali, semel in anno; a Superiore Provinciali cum suo Consilio, si agatur de Oecono Provinciali, bis in anno; a Superiore locali, si agatur de Oecono Domus, singulis mensibus; regesta autem subscribentur, si exacta reperiantur.

§ 3. Oeconomus Generalis det relationem generalem de sua administratione Superioribus Provincialibus in fine anni; item Superiores Provinciales, pro suis Provinciis, computum transmittent Superiori Generali post finem anni.

-125-

[41]

221. - Administratores omnes, tam Superiores quam Oeconomi, non poterunt actus administrationis nomine Congregationis ponere, nisi intra fines sui muneris et ad normam iuris. Quare Congregatio, Provincia et Domus, respondere debent tantum de actibus administrativis positus iuxta praefatas normas; de ceteris respondebunt illi qui illicitos aut invalidos actus posuerint.

Si qua persona moralis Congregationis debita vel obligationes, etiam cum licentia, contraxerit, ipsa ex suis respondere debet.

222*. - Si agatur de alienandis rebus, ratione materiae, artis, historiae, antiquitatis, pretiosis, aliisque bonis, quorum valor superat summam a competenti auctoritate statutam, vel de debitis aut obligationibus contrahendis ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi praecesserit beneplacitum, scriptis datum, competentis auctoritatis ad normam iuris communis et particularis nostri.

223*. - § 1. Conventus Generalis potest statuere summam limitem supra quam Superior Generalis non potest expensas extraordinarias facere.

§ 2. Superiores Provinciales possunt expensas facere secundum normam Conventus Provincialis, accedente approbatione Superioris Generalis.

§ 3. Superiores locales possunt expensas facere intra normam in Provincia statutam.

224*. - Caveant Superiores ne debita contrahenda permittant, nisi certo constet ex consuetis fontibus posse debiti foenus solvi, et, intra tempus praevisum, per legitimam annui census redemptionem reddi summam mutuo acceptam.

225*. - § 1. Contractus laboris: leges laboris, securitatis et iustitiae socialis serventur quoad personas pro nobis laborantes.

§ 2. Contractus onerosi: Superiores maxima cum prudentia agant in acceptatione piarum foundationum, quarum obligationes intra diuturnum tempus adimpleri debent. Non admittentur quae sint in perpetuum.

§ 3. Contractus gratuiti :

a) Largitiones ex bonis domorum, Provinciae et Congregationis ne dentur nisi ad normas Constitutionum et Statutorum.

b) Circa bona quae ad Congregationem, Provinciam et Domum proveniunt per testamentum vel donationes, adimpleatur voluntas donatorum circa dominium et usum.

§ 4. Cura Congregationis vel Episcoporum aut aliorum pro quibus operam nostram praestamus, adsint praevidentia socialis

-126-

[42]

pro personis et adaequatae assecurationes pro rebus in unaquaque Domo, Provincia, et etiam in Curia Generalitia.

DECRETA:

1. – **Constituatur fundus** Superior Generalis constituat fundum pecuniae pro Missionibus ad Gentes et pro Provinciis pauperioribus (~~per Decretum Conaentus Generalis~~).

2. - Limites pro expensis extraordinariis a Superiore Generali faciendis:

a) Superior Generalis potest facere, ipse solus, expensas extraordinarias usque ad U.S. \$ **15.000**. ~~10.000~~.

b) Superior Generalis potest facere expensas extraordinarias usque ad U.S. \$ 100.000, audito Consilio.

c) Superior Generalis potest facere expensas extraordinarias usque ad U.S. \$ 1.000.0000 de consensu Consilii.

d) Superior Generalis potest facere expensas extraordinarias supra U.S. \$ 1.000.000, de consensu unanimi Consilii.

VIII. - DECRETA TEMPORARIA

I. - Constitutiones et Statuta ab hoc Conventu Generali approbata a Superiore Generali promulgantur et statim vigere incipiunt ad experimentum **usque ad sequentem Conventum Generalem**.

II. - ~~Conventus Decreta temporaria quae sequuntur approbavit:~~

4° Superior Generalis cum consensu sui Consilii, de mandato Conventus Generalis, adhaereat normae Motu Proprio Ecclesiae Sanctae quoad experimenta tum contra normas Constitutionum, tum contra ius commune, nempe: dare licentiam libenter iuxta Ecclesiae Sanctae et iuxta mentem Conventus Generalis. (Notandum tamen est quod pro experimentis contra ius commune requiritur prius consensus S. Sedis).

~~2° Mandatum Visitorum et Vicevisitorum perdurat usque ad expletum sexennium ad quod ipsi nominati sunt. Idem servetur quoad Consultores provinciales.~~

~~3° Qui iam per annum in Seminario Interno fuerunt, possunt a Visitatore vel Vicevisitatore obtinere ut finem ponant huic periodo formationis, tempore ab ipso Superiore Provinciali cum suo Consilio definiendo.~~

~~4° Ea quae statuuntur in capite de Sodalibus et in sectione de Seminario Interno, vim retroactivam possunt habere si Superiori Generali, de consensu sui Consilii, auditis Superioribus Provincialibus quorum interest, id opportunum vel conveniens videatur.~~

~~5° Qui vota temporaria emisissent, cum votis temporariis remanent usque ad finem temporis pro quo haec vota emisissent. Quo tempore expleto, possunt vel vota perpetua emittere, vel, post colloquium cum suis Moderatoribus, et approbante Visitatore cum suo Consilio, manere in Congregatione sub promissione vel alio ligamine, usque ad tempus statutum pro emittendis votis perpetuis.~~

~~6° Ex Ordinationibus Superioris Generalis renovantur duae tantum:~~

~~a) De Iurisdictione in Congregatione pro confessoribus.~~

-127-

[43]

~~b) De confirmatione Superiorum et Officialium (cf. Ordinationes nn. 1 et 12 in *Vincentiana*, XII [1968], 6, pp. 234 et 236).~~

A Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*, sect. II, parte I, statuitur:

« Capitulum generale ius habet quasdam normas Constitutionum... mutandi ad experimentum, dummodo finis, natura, indoles Instituti serventur. (Experimenta contra ius commune, prudenter quidem facienda, pro opportunitate libenter a Sancta Sede permittentur). Haec experimenta protrahi possunt usque ad proximum Capitulum generale ordinarium, cui facultas erit eadem prorogandi, non tamen ultra aliud Capitulum immediate subsequens ». (n. 6).

« Eadem facultate pollet Consilium generale temporis spatio quod inter huiusmodi Capitula intercedit, iuxta condiciones ab ipsis determinandas... » (n. 7). « Definitiva approbatio Constitutionum Auctoritati competenti reservatur » (n. 8).

III. Conventus Generalis declarat Constitutiones et Statuta praesentia esse totum ius generale Congregationis nunc vigens et usque ad proximum Conventum Generalem ordinarium valiturum. Si de facto aliqua lacuna detegatur, provideri potest ad normam iuris nostri praecedentis. Ad dubia et anxietates tollendas, declarat Conventus Generalis Extraordinarius Congregationis Missionis, se Constitutiones praevias ac praesentes (idest, normas mutatas ad experimentum) ita composuisse et integravisse, cum Statutis adiunctis, ut in documentis eiusdem Conventus Generalis Extraordinarii (nempe, in Constitutionibus cum Statutis adnexis) inveniatur totum ius generale Congregationis nunc vigens et usque ad proximum Conventum Generalem ordinarium valiturum. Proximi Conventus ordinarii erit decisionem edere de prorogandis normis mutatis, ex toto vel ex parte, usque ad subsequentem Conventum Generalem.

~~Ideo normae ex praeviis Constitutionibus, quae non inveniuntur explicite in documentis huius Conventus Extraordinarii, remanere censentur in suspensivo, usquedum provideant tum subsequens Conventus tum Sancta Sedes, iuxta praescripta Motu Proprio *Ecclesiae Sanctae*. Si de facto aliqua lacuna detegatur, provideri potest iuxta Constitutiones praecedentes.~~

~~Aliquoties in documentis Conventus Generalis mentio fit de « decretis » eiusdem Conventus. Cum decreta, ex natura sua, decisioni Conventus subsequenti subiciantur, de his non requiritur specialis declaratio.~~

~~Per hanc declarationem non aufertur nec restringitur Superioris Generalis potestas Ordinationes condendi in bonum totius Congregationis, iuxta normas ab ipso Conventu Generali Extraordinario iam prolatas.~~

INTERPRETATIONES ET RESPONSIONES

A. De Statuto Fundamentalibus Paupertatis
[ita ut in Constitutionibus 1980]

B. De Objecto Voti Stabilitatis

1. Obiectum voti Stabilitatis in Congregatione Missionis invenitur clare definitum et expressum in forma emissionis votorum (art. 54 C&S); “*voveo Deo me evangelizationi hominum, maxime pauperum, toto vitae tempore in Congregatione fideliter dedicaturum.*”

2. Ex qua forma deducitur obiectum integrum voti Stabilitatis duobus elementis constare, quae sunt:

a) evangelizatio hominum, maxime pauperum, et

b) huic evangelizationi fidelis dedicatio toto vitae tempore in Congregatione.

3. Elementum fundamentale et primum objecti voti Stabilitatis est evangelizatio hominum, maxime pauperum.

4. Consequenter, votum Stabilitatis melius vocaretur “*Votum Evangelizationis*” hominum, maxime pauperum.

C. De Competentia Conventus Provincialis
(cfr. Art. 198, 3 Constitutionum)

D. De Officialibus Curiae Generalitiae
(cfr. Art. 155 Constitutionum)

DECRETA

De Paupertate

(Cfr. Art. 54)

De Praeparando Conventu Generali Anni 1980
[omittitur]

Cfr. “Conventus Generalis XXXV,” *Vincentiana* 18:5 (Sept.-Oct. 1974): 303-52.

“XXXV Assemblea Generale della Congregazione della Missione,” *Annali della Missione* 81 (1974).

[Pagination and layout have been kept from 1968-1969 version, in *Vincentiana* XIII.]

[John E. Rybolt, C.M., 04-06]